BINÆ DISSERTATIONES THEOLOGICÆ

HISTORICO-CRITICO-DOGMATICÆ,

Altera

DE INVOCATIONE Et ADORATIONE SANCTORUM, NEC NON EORUM IMAGINIBUS, AC RELIQUIJS.

Altera verò

DE SYMBOLIS CATHOLICÆ FIDEI, EX GRAVISSIMIS, ATQUE PROBATISSIMIS AUTHORIBUS IN GRATIAM SERAPHICÆ JUVENTUTIS

COLLECTÆ,

ATQUE SCHOLASTICA METHODO

DISPOSITÆ.

Operâ

Patris Fratris BONAVENTURÆ BUJALSKI Sacræ Theol: Magiſtri Ordin: Minor: S. P. Noſtri Franciſci Conventualium, Provinciæ Litvaniæ Alumni.

VILNÆ

Typis Sac. Reg. Maj. Patrum Minorum Conventualium.

MAGNÆ DEI MATRI
Et GLORIOSISSIMÆ VIRGINI
MARIÆ
In Æde Lauretana Olkinicijs apud PP. Minores S. P. Francisci Convent: Gratijs ac Miraculis
CELEBERRIMÆ.

QUæcunq; singulis ferè Scriptoribus multæ ac permagnæ causæ unquàm fuerunt, ut suas lucubrationes magnis nuncuparent Nominibus, his ego prorsùs adducor, ac impellor, ut binas hasce Dissertationes, quas meorum Superiorum, & almæ hujus Diœcesis Censura publicâ luce non indignas esse judicavit, TUO *Sacratissimo Nomini* MAGNA DEI MATER & Gloriosissima Virgo MARIA *inscriberem, dicarem, consecraremqué. Enim verò, qui publicæ luci sua exponunt opera, vel ideò clarissimorum Nominum quærunt auspicia, ut ab æmulis (si quos habere contigerit) nanciscerentur tutamina, vel ut gratum ijs significent animum, quorum beneficijs se abundè cumulari persentiunt. Porrò si de tutamine ac Patrocinio meæ hujusce exiguæ agatur opellæ, illud certè à nullo mortalium sperari potest efficaciùs, & obtineri securiùs, quàm à* TE MAGNA DEI MATER, & Gloriosissima Virgo MARIA; *Quæ cùm sis sapientiæ sedes, minùs sapientem* Tuâ *gratiâ proteges scriptorem;* Cumq; Terribilis ut castrorum acies ordinata *nomineris, singulos æmulos, cunctosq; illius adversarios facilè dispelles, vinces, superabis. Quodsi posteà de illa fiat sermo, quam* Tibi *debeo*

Sanctissima Mater & Virgô, *gratitudine, primus hic infimi mei laboris fætus tam stricto jure* Tibi *post* Deum *debetur, ut alteri nemini persolvi justiùs possit. Tot siquidem erga me indignissimum hominum* Tua *materna recognosco beneficia, ut exactum eorum numerum isthæc tenuissima capere nullatenùs valeat pagella. Atq; adeò ut silentiô prætercam illos* Tui Patrocinij *effectus, qui in liberando me à tot vitæ discriminibus, in eripiendo ex tot, tantisq; rebus adversis, in cumulando maximis, ijsq; innumeris beneficijs, ab ipsa infantia, & tenera ætate, ad hanc usq; diem in me manifestantur;* Tuis O! MATER & Virgo Divinissima *refero gratijs ac favoribus, quod Seraphico Ordini adscriptus, inter Alumnos ac Filios illius Cænobij fuerim cooptatus, quod singularissimâ* Tuâ *gaudet protectione; Quodq; in eodem Cænobio tot tantorumq; Patrum citrà mea merita inventus sim dignus frui consortiô, à quibus omnem probitatem, ac Religiosam vitam addiscere, & à quibus continua experiri beneficia, quotidiana, ab ipso Religionis ingressu, est mea sors, ac fortuna. Accipe igitur* o! Magna DEI MATER *hancce opellam, licet ob suam exiguitatem & vilitatem* Tua *minùs dignam* Majestate. *Eo Materno illam respice vultu, quo jam aliàs Devotissimi Tui Filij, magniq; mei Conventûs, ac Provinciæ Patris, pijssimæ memoriæ* Antonij Grzybowski *Apostolica* Tuo Divinissimo *sacrata Nomini respexisti opera. Suscipe* Gloriosissima VIRGO, *quod* Tibi *cum lachrymis, ac suspirijs, eâ, quâ potest, offerre audet devotione, singulorum Minorum Fratrum minimus, omnium peccatorum maximus, cunctarum creaturarum indignissimus*

Vilissimus pulvis & cinis
Fr. BONAVENTURA BUJALSKI
Filius Conv: Olkinic: Ord: Min: S. P. Francisci Convent:

CENSURA
THEOLOGORUM ORDINIS.

EX *Commissione A. R. P. Magistri* FELICIS TOWIANSKI *Ministri Provincialis & Commissarij Generalis Provinciæ Litvaniæ & Albæ Russiæ Ordinis Minorum S. P. Nostri Francisci Conventualium, Opusculum, cui Titulus:* Binæ Dissertationes Theologicæ Historico-Critico-Dogmaticæ *à R. P. Magistro* BONAVENTURA BUJALSKI *Regente & Deffinitore Vilnensi, nec non Patre Olkinicensi summo labore ex gravissimis Authoribus collectum, iisdemq; firmatum, attentè & diligentèr legi, & cum in nullo Orthodoxæ fidei & bonis moribus adversari animadverti, luce publicâ dignum censeo: Datum in Conventu Nostro Olkinicensi Die 8vâ Januarij, Annô Dni 1761.*

Fr. LAURENTIUS DRĄGOWSKI
Exprovincialis *mpp.*

EX *Commissione ad revidendum mihi data, legi* Dissertationes Binas Theologicas Historico-Critico-Dogmaticas *de Invocatione Sanctorum & de Symbolis Catholicæ Fidei, ab Admodum R. P. Magistro* BONAVENTURA BUJALSKI *Regente Studij Theol: Vilnensis Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium collectas, easqué authoritate Sanctorum Patrum & gravissimorum atq; probatorum Authorum judiciô firmatas, Ecclesiæ S. Catholicæ in nullo adversari deprehendi, proindeq; typis mandari posse censeo. Datum in Conventu Nostro Drohiciensi die 30. Mensis Martij, Anno Domini 1761.*

Fr. ANTONIUS USZYNSKI Exprovincialis, Antianus Provinc: Litvan:
mpp.

FACULTAS

A. R. P. MINISTRI PROVINC: & COMMISSARIJ GENERALIS.

UTraq; *hæc Dissertatio* Historico-Critico-Dogmatica *ab A. R. P. Mag:* BONAVENTURA BUJALSKI *Deffinitore ac Regente Studij Nostri Vilnensis, sub censuram duorum Provinciæ Nostræ Theologorum revocata, examinata, revisa, prævia Illustrissimi Excellentissimi, ac Reverendissimi Loci Ordinarij facultate typis imprimatur. In fidem datum in Conventu nostro Custodiali Vilnensi* 13. *die Aprilis* 1761. *Anno.*

Fr. FELIX TOWIANSKI
Minister Provinc: Commissar:
Generalis *mpp.*

CENSURA DIOECESANA.

B*Inas Dissertationes Theologicas* Historico-Criticc-Dogmaticas; *1mã: De invocatione Sanctorum, & adoratione, eorumq; Imaginibus & Reliquijs;* 2*dam: De Symbolis Catholicæ Fidei in sententiis probatissimorum Authorum fundatas, scholasticâ methodo dispositas operâ Religiosi Fratris* BONAVENTURÆ BUJALSKI *Ordin: Minorum S. Francisci Convent: Provinciæ Litvan: Alum: lectas, revisas à Theologis & probatas, dignas luce publica censui. Itaqué Imprimantur, Actum Vilnæ Die* 2. *mensis Maji Annô Domini* 1761.

A. HORAIN Episcopus Hirenensis,
S. S. Arch: Vilnens: Libr: Censor
mpp.

INDEX

QUÆSTIONUM UTRIUSQ; DISSERTATIONIS.

INDEX

DISSERTATIO SECUNDA.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE INVOCATIONE, ET ADORATIONE SANCTORUM, NECNON EORUM IMAGINIBUS, AC RELIQUIJS.

QUÆSTIO PRIMA

UTRUM SANCTORUM INVOCATIO UTILIS SIT?

PRimus omnium, qui intèr Chriſtianos docuit: Sanctos in Cœlis cum Chriſto regnantes nullo modo invocari debere, fuit Vigilantius, adversùs quem labente 4to Eccleſiæ ſæculo Sanctus Hieronymus ſcripſerat.

Jàm verò duodecimo ſæculo, teſte Sancto Bernardo ſermo: 66. in Cantica, Henriciani, ſivè Petrobuſiani, & Apoſtolici apertiùs Sanctorum invocationi crudele indixerunt bellum, blaterantes impium eſſe per preces ad Sanctos recurrere. Sæculo demùm decimoſexto Lutherus, ut ſit notum ex ejus Libris, quos ad Waldenſes ſcripſit, & Calvinus Inſtitut: Lib: 1. cap: 14. alios intèr circà Sanctorum cultum errores, hunc etiam blaſphemo ſparſerunt ore: Inutile videlicèt, & illicitum eſſe

Sanctos in Coelis regnantes invocare, cùm illi viventium preces (ajebant) minimè cognoscant, atq; per hanc Sanctos invocandi praxim nimis gloriam Christi obscurari, qui unicus est Mediator noster & Intercessor.

Hos ut proscinderet errores Sancta Catholica Ecclesia, in Concilio præsertim Tridentino Spiritu Sancto Congregata Sess: 15. tale statuit Decretum: *Mandat Sancta Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus, curamq; sustinentibus, ut fideles diligentér instruant, docentes eos: Sanctos unà cùm Christo regnantes, Orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atq; utile esse supplicitér eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus JESUM Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumq; confugere.*

Dico: Bonam atq; utilem esse Invocationem Sanctorum cùm Christo in Coelis regnantium.

Probatur 1mo: Utilis est invocatio Sanctorum in terris militantium, igitur æquè utilis, vel certè utilior est invocatio Sanctorum in Coelis triumphantium. *Antecedens* fit exemplo Divi Pauli manifestum, quem legimus Romanorũ precibus se se commendasse, non in vanum certè, sed proptèr aliquam utilitatem. *Consequentia ostenditur:* Ideò utilis censenda est invocatio Sanctorum in terris militantium, quia ipsi possunt, ac volunt intercedere pro nobis apud Deum, sed id quoq; majori charitate volunt, ac potentiori virtute possunt Sancti in Coelo triumphantes. Ergò *&c.* *Pr. Min:* Majoris apud Deum pretij sunt Orationes Sanctorum jam cùm Christo regnantium, perfectiorq; est eorum circà nos amor, ac sollicitudo; Hinc Sanctus Cyprianus Lib: de mortal: ait: *De sua sorte securi sunt, de nostra salute solliciti.*

Probatur 2do: Ille usus haberi debet veluti bonus & utilis, quem Christi Ecclesia à primis sæculis ad hæc usq; tempora ubiq; gentium servavit, fidelibusq; commendavit. Atqui re vera Ecclesia à primis sæculis ad hæc tempora usum invocandi Sanctos ubiq; gentium servavit, cõmendavitq; fidelibus. Ergò hic usus utilis ac bonus est. *Major* certa est. Sicùti enim Ecclesia proptèr Spiritûs Sancti assistentiam non potest aliquem errorem docere, ità proptèr eandem infallibilitatem non potest inutilem & malam praxim fidelibus cõmendare. *Pr. Min:* Tùm in Oriente, tùm in Occidente non interrupta serie docuerunt Patres, qui à Sancti Cypriani, & Origenis temporibus adversùs elapsi proximè sæculi Novatores scripserunt,

Sanctos pro nobis orare, & in ſuis Liturgijs Sanctorum Commemorationem interpoſuerunt. Hinc etiam in Chalcedonenſi Concilio Patres, qui Eutychen, & Dioſcurum damnarunt, unâ voce exclamavêre: *Veritas hæc habet: Omnes hæc ipſa dicimus: Flaviano æterna memoria, Flavianus poſt mortem vivit, Martyr pro nobis orat.* Igitur *&c.*

Probatur 3tio: Ille uſus utilis ac pius eſt, quem DEUS pluribus confirmavit miraculis, atqui DEUS editis miraculis multotiès confirmavit uſum de invocatione Sanctorum, Ergò *&c. Major* certiſſima eſt. Sicuti enim Deus editis miraculis non poteſt impium dogma confirmare, quia verax eſt, & hoc ipſius ſummæ ſapientiæ, ac bonitati repugnat, ità proptèr eandem rationem neq; uſum & praxim inutilem miraculis roborare valet. *Pr. Min:* Sanctus Auguſtinus Lib: 22. de Civit: DEI cap: 8. plurima narrat miracula, quæ in Africa ad cultum & invocationem S. Stephani Proto-martyris edita ſunt. Sed hæc in dubium à nemine revocari poſſunt; Cùm Divus Auguſtinus eorum fuerit oculatus teſtis, & pleraq; coràm numeroſa multitudine patrata fuerint,quin de rebus etiam certiſſimis dubitare fas eſſet, & omnibus factis à Viris licèt digniſſimis fide relatis detrahere liceret. Igitur *&c.*

Obijcies 1mo: Impia eſt invocatio Sanctorū, Ergò non eſt frequentanda. *Pr. Ant:* Impium eſt invocare eum, qui Deus non eſt, ſed Sancti Dii non ſunt, Ergò *&c.*

℟. N. *Ant:* ad *probationem* D. *Maj:* Impium eſt eum tanquàm primum, & ſupremum bonorum authorem invocare, qui Deus non eſt C. *Maj:* tanquàm interceſſorem apud Deum N. *Maj:* Non itaq; in Divinis ſcripturis vox iſta: *Invocare* ei tantùm convenit Orationi, quæ ad DEUM immediatè dirigitur, ſiquidèm Jacob Geneſ: cap: 48. benedicens Filijs Joſeph, ſic loquitur: *Invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoq; Patrum meorum Abraham, & Iſaac;* Adeoq; Sanctos licèt non ut ſupremos bonorum authores, tamèn veluti apud Deum Interceſſores abſq; impietatis nota invocare poſſumus.

Inſtabis: Atqui Sanctos etiàm ut Interceſſores nonniſi impiè invocaremus, nulla eſt ergò ſolutio. *Pr. Subſumpta:* Invocari nullo modo debet, niſi is, in quem credimus, juxta Apoſtolum ad Romanos: *Quomodò invocabunt, in quem non crediderunt?* Sed in quem credimus, is Solus eſt DEUS, juxta illud Symboli: *Credo in Deum.* Ergò *&c.*

℟. N. *Subsumptam*, ad *probationem* D. *Maj*: Invocari non debet ullo modo, nisi is, in quem credimus fide, quæ ei conveniat C. *Maj*: quæ ei non conveniat N. *Maj*: Et in simili sensu concesså *minori*, N. *Consequ*: Fides, quâ credimus Deum esse omnium bonorum Dominum, ac Largitorem, DEO Soli convenit; Fides verò, quâ credimus Sanctos aliquid apud Deum posse nobis impetrare, creaturis tribui potest, juxta illud Apostoli ad Philemonem: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino JESU, & in omnes Sanctos.* Hæc verò fides, non autem illa necessaria est, ut Sanctos invocemus. Quanquàm etiàm citatum Apostoli testimonium satis commodè exponi possit in sensu datæ distinctionis ad difficultatem prioris argumenti, siquidem antè illa verba hæc alia habentur: *Omnis enim qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.*

Instabis: Impia est illa praxis, quæ Christo apud Deum mediatorem adjungit, cùm Apostolus 1mâ ad Timoth: dicat: *Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum homo Christus JESUS*, Sed praxis de Sanctorum invocatione Christo apud Deum mediatores adjungit, Impia ergò est, quocunq; modo explicetur. *Pr. Min:* Ji sunt verè mediatores, qui apud Deum pro nobis orant, & intercedunt, sed si Sancti invocari deberent, id nobis apud Deum præstarent. Igitur *&c.*

℟. C. *Maj*: N. *Min*: ad *probationem* D. *Maj*: Ji sunt mediatores, qui pro nobis orant ac intercedunt, si eorum oratio, ac intercessio proprijs, & à nullo pendentibus meritis nitatur. C. *Maj*: Si alienis meritis, & ab alio pendentibus fulciatur. N. *Maj*: Simili modo concesså *minori*, N. *Conseq*: Ideò Christum Dominum nostrum Mediatorem dicimus, quia ejus oratio, atq; intercessio meritis proprijs, & ab alio minimè dependentibus nituntur; Neq; enim ipse ut æternum Patrem nobis propitium reddat, aliud offert, quàm merita sibi propria, & à quovis alio mediatore independentia; Sancti verò dum aùt in terra, aùt in Cœlo pro nobis orant, offerunt ipsiusmet Christi merita, quæ enim merita illi dùm viverent compararunt, effectus hæc sunt, & participatio meritorum Christi; Undè mirùm non est, quod licèt pro nobis orent, & intercedant, DEI tamèn & hominum mediatores non appellentur. Non adjunguntur itaq; Sancti Christo tanquàm mediatores primarij, sed nonnisi tanquàm mediatores secundarij, si ita loqui fas est.

Instabis:

Instabis: Impium est alium orare præter eum, quem Christus orari voluit, sed Christus solum Deum orari voluit, sivè docuit: ad solum Deum nostras preces fore dirigendas, ergò ad Sanctos neq; ut ad secundarios mediatores nostræ sunt dirigendæ preces, ac invocationes. *Pr. Min:* Math: cap: 6. Cùm Christus à Discipulis esset rogatus: *Domine doce nos orare,* respondit: *Sic ergó vos orabitis: Pater noster qui es in Cœlis.* Igitur *&c.* ℞. C. *Maj:* N. *Min:* Ad *probationem* D. *Ant:* Et ijs verbis docetur, quid, & quomodo sit orandum C. *Ant:* Et ijs verbis docetur, quis sit orandus N. *Ant:* & *Cons:* Noverant Apostoli solum Deum veluti omnium bonorum authorem & largitorem rogandum esse, sed perspectum non habebant, quæ res, & quo ordine in oratione essent petendæ, Christus verò utrumq; illos edocuit, videlicèt debere peti ea, quæ ad DEI gloriam, æternam nostram salutem, vitam etiàm temporalem pertinent, ita tamèn, ut Dei gloria, æternaq; nostra salus temporalibus rebus præponendæ sint, ac primùm petendæ. Hocq; ex eo fit manifestum, quod Christus eam, quam præscribit orationem, opponat ethnicorum orationi, qui non aliud, quàm quod ad corporalem vitam pertinet, petebant, quod patet ex contextu.

Objicies 2do: Invocatio Sanctorum in Cœlis cùm Christo regnantium prorsùs inutilis est. Frustra ergò à fidelibus adhibetur. *Pr. Ant:* Invocatio directa ad eos, à quibus ignoratur, inutilis est, cùm sit similis invocationi ad dormientes directæ, atqui invocatio ad Sanctos mortuos directa, à Sanctis ignoratur, Ergò *&c. Pr. Min:* Neq; Scripturâ, nequè traditione, neq; ratione probari potest invocationem ad Sanctos directam eis cognitam esse. Ergò *&c.*

℞. N. *Ant:* ad *probationem* C. *Maj:* N. *Min:* ad aliam *probationem.* Nego similiter *Ant:* Facilè siquidèm est ex Scriptura & traditione ostendere invocationem ad Sanctos directam ijsdem notissimam esse. Nàm Lib: 2. Paralip: cap: 21. legitur: Eliam aliquot post suam translationē annis per Epistolam corripuisse Joram Judæ Regem, ad quem dicente Scripturâ: *Allatæ sunt Litteræ ab Elia Propheta,* ex quo patet Eliam actiones Regis Joram perspectas habuisse. Similitèr Lucæ cap: 16. Abraham sic divitem Epulonem alloquutus est. *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similitèr mala.* Abrahamo igitur mortuo notum erat, illum divitem abundasse delicijs, & Lazarum calamitatibus

fuisse

fuisse oppressum. Tandèm Apocalip: cap: 6. Sic Martyres alloquuntur Deum: *Usquequó Domine Sanctus & verax, non judicas sangvinem nostrum de ijs, qui habitant in terra?* Si ergò Sancti Martyres norunt sui sangvinis reos adhùc in terris impunè versari, si actiones, & successus viventium hominum perspectos habent, cùr quaeso invocationem ad ipsos directam penitùs ignorare debent? Sed & Traditione luce clariùs id ipsum evincitur. Nàm S. Ambrosius Lib: de Viduis ultrà medium sic loquitur: *Isti enim sunt DEI Martyres, nostri Præsules, Speculatores vitæ, actuumq; nostrorum.* Et S. Augustinus Lib: de cura pro mortuis, id ipsum cùm Divo Ambrosio testatur. Cæterùm sicuti nos in terris degentes pro mortuis preces fundimus, quamvis nec uti sint, nec quid agant, nec utrùm nostris precibus indigeant cognoscamus, ità & Sancti pro nobis intercedunt, quamvis cunctas eorū invocationes in specie non cognoscant.

Instabis: Sacra Scriptura pluribus in locis ostendit ea, quæ super terram fiunt, à mortuis nullatenùs cognosci posse. Ergò ex Scriptura probari non potest Invocationes nostras Sanctis esse notas. *Pr. Ant:* Job cap: 14. de mortuo homine dicitur: *Sivé nobiles sint Filij ejus, sivé ignobiles, non intelliget.* Et Ecclesiastæ cap: 9. *Mortui nihil noverunt ampliùs. Deindé* Isaiæ cap: 63. dicitur: *Tu es enim Pater noster, Abraham nescivit nos, & Isràël non novit nos. Tandém* Lib: 4. Regum Deus Osiæ Regi dicit: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia, quœ introducturus sum in Locum istum.* Igitur *&c.*

℞. N. *Ant:* & quò ad priores duos textus dico: Illos non intelligi de Sanctis, aut de precibus ad eos directis, sed tantùm de quibusdam externis rebus, quas fatemur utiq; à Sanctis non cognosci. Ita prioris Testimonij sensum exponit S. Gregorius Magnus Lib: 12. Moral: cap: 18. Ecclesiastes verò aptiùs intelligitur sub ea explicatione, quatenùs mortui nihil ampliùs nosse dicantur, eo quod nova sibi non valeant ulteriùs comparare merita; sequitur enim: *Neq; habent ultrà mercedem.* Testimonium ex Isaia depromptū intelligi non debet de qualibet cognitione, sed tantùm de cognitione approbationis, significat scilicèt Abrahamum & Jacobum pro filijs non agnoscere Judaeos, qui suos mores ad eorum exemplum minimè componunt; Quarè inquit S. Hieronymus in hunc Locum: *Nescit nos Abraham, & ignorat Isràël, quia te offendimus. Non cognoscunt filios, quos à Deo suo intelligunt non amari.* Quod verò spectat ad textum

ex

ex Libro Reg: relatum, evidens eſt illum intelligi de cognitione experimentali, atq; ſignificare Deum ad ſe vocaſſe Oſiam Regem, nè pænarum, quibus in Judæos animadverſurus erat, fieret particeps.

Inſtabis: Nequit exponi modus, neq; aſſignari medium, quo Sancti beatitudine perfruentes noſtras cognoſcant preces ad eos directas, non ergò eas cognoſcunt.

℟. N. *Ant:* Siquidèm S. Auguſtinus Lib: de cura pro mortuis, varios proponit modos, quibus res noſtræ ad Beatorum hominũ notitiam perveniant, atq; Sanctus Doctor aſſerit. *1mo:* Sanctos Martyres res noſtras cognoſcere ex eorum relatione, qui à nobis ad eos per mortem migrant. Aſſerit *2do*: Angelos nonnunquàm aperire Beatis, quid hic à viventibus agatur. Aſſerit *3tio:* Res noſtras mortuis innoteſcere poſſe per ſpecialem ipſius DEI revelationem. Quibus etiàm addere licèt: Beatos in verbo videre, quæ hic in terris aguntur, ea præſertim, quæ ad eos ſpecialitèr ſpectant; *Quia omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendũ eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent,* ut optimè ait S. Gregorius Magn: Lib: 12. Moral: cap: 14. Cæterùm plura ſunt nobis certiſſima, quamvis modus, quo fiant, creaturas lateat; Undè laudato loco S. Auguſtinus teſtatur etiam: Sanctis innoteſcere preces noſtras, quamvis modus, quo id contingit, & mediũ, in quo id vident viatoribus hominibus certum non ſit.

Inſtabis: Sanctus Auguſtinus eodem Lib: cap: 13. dicit: *Si parentes non interſunt, qui ſunt alij mortuorum, qui noverint, quod agamus, quodvè patiamur?* Quibus verbis expreſsè oſtendit: Ipſos etiam noſtros parentes pòſt mortem neſcire, quid in terris circà nos fiat. Quod propriâ experientiâ confirmat. Ergò *&c.*

℟. D. *Ant:* Noſtros parentes aſſerit ſuis viribus relictos neſcire poſt mortem quid in terris circà nos fiat. C. *Ant:* Adjutos Divinâ virtute N. *Ant:* & *Conſeq:* Primum, non item verò alterum res noſtras cognoſcendi modum Divus Auguſtinus inficiatur in Beatis, cùm ut ſuperiùs diximq. varios modos, qui vires ſuperant naturæ, explicaverit, quibus res noſtræ ad mortuorum devenire poſſunt notitiam, quarè ſubdit: *Sed ideò intelligendum eſt, quod per Divinam potentiam Martyres vivorum rebus interſint, quoniàm defuncti per naturam propriam vivorum rebus intereſſe non poſſunt.*

Inſtabis: Quamvis Beati in Cœlis noſtras cognoſcere aliquandò poſſint orationes ad ipſos directas, tamèn hæ nobis inutiles prorsùs ſunt, Ergò *&c.*

Pr. Ant:

Pr. Ant: DEUS ipse paratissimus est nos exaudire, Ergò nonnisi frustrà quærimus per preces Patronos. *Antecedens* certum est. Lucæ enim cap: 16. DEUS omnibus fidelibus dicit: *Petite, & accipietis.* Et Joan: cap: 16. *Si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.*

℟. N. *Ant*: ad probationem D. *Ant*: DEUS ipse paratissimus est nos audire, magis tamèn paratus, cùm Sancti nobiscum, & pro nobis orant C. *Ant*: Secùs N. *Ant*: Deus equidē paratus est quemcunq; audire, cùm unicuiq; qui debitè fuerit dispositus, dixerit: *Petite & accipietis*, sed tamèn magis paratus est, si Sancti nobiscum orent, cùm illi Deo sint longè gratiores, quàm homines vitam peccatis obnoxiam agentes, quorum charitas vel nulla est, vel admodùm imperfecta; Qua de causa DEUS cap: ultimò Job. dixit: *Ite ad Servum meum Job, ut oret pro vobis.*

Instabis: Atqui Deus non est magis paratus nos audire medijs Sanctorum Orationibus. Nulla est ergò data solutio. *Pr. Subsumpta:* Sanctus Joannes Chrysostomus homil: de profectu Evangelij inquit: *Non opus tibi Patronis apud Deum ---- neq; enim tàm facilè Deus annuit, cùm alij pro nobis orant, ut cúm ipsimet oramus, etiàm plurimis plenissimi malis.* Ergò *&c.*

℟. N. *Subsumptam*, ad *probationem* dico: Divi Chrysostomi testimoniū intelligi imprimis posse: De Patronis adhùc in hac vita degentibus, non autèm cum Christo in cœlis regnantibus, subdit enim ibidem: *Non est opus multo discursu, ut blandiare alijs;* Deindè asserendum est: Sanctum Doctorem eos arguere, qui per se ipsos orare nolunt, sed ut se ab eo eximant labore pauperibus, qui pro ipsis orent, eleemosinas largiuntur. Fiunt hæc manifesta Sanctum Doctorem legenti tùm homil: 5. in Matthæum, tùm homil: 1. in priorem ad Thessalo: Epistolam.

Objicies 3tio: Ex invocatione Sanctorum multæ promanant inconvenientiæ, multiq; abusus, Ergò hæc nullatenùs laudari debet. *Pr. Ant:* Imprimis Sanctorum invocatio in causa est, quod fideles paulatim Christum desinant invocare. Igitur *&c. Pr. Ant:* In plerisq; fidelibus contingit, ùt rarissimè ad Christum confugiant. Sed hoc nisi cùm maxima fit inconvenientia, ipso Christo Domino testante: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ergò *&c*

℟. N. *Ant:* Cùm sua *probatione.* Invocatio enim Sanctorum ipsiusmet Christi invocationem includit, eo quìa fidelis, qui Sanctum invocat, precatur, ùt ille Sanctus Christi nomine à Deo postulet beneficia, quibus

ipse

ipse indiget fidelis,supplicat videlicèt,ut Sanctus deprecetur Deum, quatenùs Christi meritorũ intuitu velit concedere auxilia,quibus indiget is, qui ad Sanctum supplex per preces confugit. Hæc vel exindè maximum robur obtinent, quod Ecclesia omnes orationes, quas dirigit ad Sanctos, hâc formulâ concludere soleat: *Per Dominum nostrũ Jesum Christum, &c.*

℟. Quod verò alterã *probationem* attinet, dico: Minimè obstare; si imperiti quidam eâ ratione, quam argumentum insinuat, Sanctos invocent, Ecclesia siquidèm eo in capite illorum non probat usum, sed animarum curam gerentibus diligentèr injungit, ut fideles edoceant: Sanctorum preces eo solùm titulo à DEO audiri, quod Christi fiant nomine.

Cæterùm si proptèr quorundam aùt imperitorum, aùt iniquorum hominum abusum, bonus, pius, ac utilis invocationis Sanctorum usus foret tollendus, similem proptèr rationẽ aboleri deberet scripturæ, Sacramentorum, pluriumq; aliarum Sanctissimarũ rerum usus, cùm non pauci sint, qui aùt præ ignorantia, aùt præ iniquitate his omnibus abutantur.

Instabis: Invocatio Sanctorum eorum favet errori, qui ob cultum huic, aùt illi Sancto impensum, sibi pollicentur se ex hac vita absq; pænitentia non migraturos. Hac ipsa de causa putant nonnulli omnia scelera posse conciliari cùm devotione ergà Sanctos,ac præcipuè Deiparam Virginem. Tandèm hoc eodem motivo plures suam ponunt fiduciam in quibusdam exterioribus signis, ad Sanctorum, & præsertim Deiparæ cultum institutis. Ergò proptèr has, similesq; alias inconvenientias (clamant Lutherani cùm Calvinistis) aboleri debet invocatio Sanctorum.

℟. ad 1mum N. *Ant:* Nàm primum hunc abusum sicuti modo Romana damnat Ecclesia,ità etiam olim ubiq;locorum sempèr damnaverat. Concilium sanè Cameracense titulo: *De Sanctis* cap: 6. ait: *Doceatur itaq; populus, preces Sanctorum admodùm utiles esse ad impetranda dona, non modo corporalia & temporalia, sed & spiritualia & æterna; sed tamèn abominandã esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certó pollicentur, non ex hac vita migraturos sinè pœnitentia ac Sacramentis eos, qui hunc vel illum ex Divis coluerint.* Eodem fermè modo loquutæ sunt Synodi, quæ tùm in Gallijs, tùm in alijs Christiani orbis partibus post Concilium Tridentinum Sanctorum invocationis meminerunt. Ad *2dum* dico: Enormem esse eam calumniam, quàm Rivetus Calvinista Romanæ impegit Ecclesiæ, siquidèm hæc probat illud celebre S. Augustini effatum, sermo 30. intèr eos,

quos edidit Syrmundus: *Martyres honorare & non imitari, nihil aliud est, quàm mendacitèr adulari.* Quod effatum transfert etiàm Ecclesia ad Deiparæ, aliorumq; Sanctorum cultum & invocationem, profitendo firmissimè: nec cùm Dei verbo, nec cùm Sanctis Patribus cohærere illam sententiam, quâ dicitur: Nullum, qui externum Virgini cultum exhibuerit, excessurum è vita, quin pœnitentiam egerit. Ad *3tium* tandèm repono: externa devotionis in Virginem Deiparam, aùt Sanctos cùm Christo regnantes Symbola, sivè signa, non alio gestari fine, quàm ut fideles Excitentur ad eorum imitationem, quos illis exterioribus signis se pro Patronis elegisse profitentur.

Dices: In Romana Ecclesia Sancti invocantur veluti principales beneficiorum authores, & auxiliorum, quæ ab ipsis postulantur, collatores, sed hoc maximum esse inconveniens, vel cæcus judicare potest. Ergò *&c.* *Pr. Maj:* In Hymno Ecclesiæ Deipara Virgo tali invocatur modo: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle.* Quædam verò Ecclesiæ in suis precibus Christum Dominum Mariæ subjiciunt, dùm illam tali orant pacto: *Roga Patrem, jube Natum, jure Matris impera Redemptori,* ut legimus apud Pelchartum de Temeswar. Ergò *&c.*

℞. N. *Maj:* ad cujus primam *probationis partem D. Ant:* Et illa hymni verba intelligenda sunt de vinculorum solutione, & aliorum beneficiorum assecutione per modum causæ moralis. *C. Ant:* Per modum causæ Physicæ *N. Ant: & Conseq:* Beatissima Virgo MARIA peccatorum vincula solvit per modum moralis causæ, quatenùs Deum orat, ut per Christi merita reis hominibus peccata dimittat, ipsa verò veluti principale ac physicum agens peccata non dimittit. Id verò ex subsequentibus ejusdem Hymni verbis plusquàm manifestum est, dùm dicitur: *Bona cuncta posce. Sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.* Quò verò ad aliud *probationis* caput imprimis dico: Illam orandi formulam nusquàm ab aliqua Ecclesia adhibitam fuisse. Neq; alicujus momenti censeri debet testimonium Pelchartij de Temeswar, illius enim opus multas aniles continere fabulas, Eruditi Viri demonstrant, ex quo fit consequens: illius authorem nullam planè mereri fidem. Cæterùm etsi in aliqua particulari Ecclesia citata precandi formula fuisset adhibita, tribui tamèn nequaquàm potest Catholicæ sivè universali Ecclesiæ; cùm nonnunquàm per errorem, vel imperitiam aliqua in particularibus fieri cernamus Ecclesijs, quæ tamèn à Catholica rejiciuntur Ecclesia.

Ex

Ex quo ea digna notatu prætermitti hoc loci non debent. *1mum:* In particularium Ecclesiarum preces persæpè aliqua posse irrepere, quæ sint contrà universalis Ecclesiæ fidem. *2dum:* Preces quotidiè ferè emendari curâ Sacræ Congregationis de Ritibus, cujus præcipuum officium est advigilare, ut emendanda corrigantur, & cavere, nè quid deinceps simile contingat.

QUÆSTIO SECUNDA

UTRUM ALIQUA ADORATIO SANCTIS DEBEATUR?

LUtherani, Calvinistæ,alijq; pessimi Novatores,qui Ecclesiam sæculo decimosexto vexarunt, negant adorationem, sivè aliquem Religiosum cultum Sanctis cùm Christo regnantibus exhiberi posse, atq; blaterant: piè non extrui Sacras ædes in eorum memoriam, affirmant deniq; vota non debere, nec posse in eorum honorem nuncupari.

Notandum verò est. Adorationem sivè cultum, qui est præstantissimus Religionis actus, nihil aliud esse, quàm submissionis notam, quâ quis alteri se submittit in recognitionem ejus excellentiæ.

Quia verò varia sunt excellentiarum genera, hinc pariter diversæ distingvi debent adorationis species. Alia itaq; adoratio est merè civilis, sivè Politica, qualis exhiberi solet Regibus, & Principibus proptèr excellentiam sui statûs, sivè humanæ potestatis, quàm præ alijs habent. Alia itèm adoratio est Sacra sivè Religiosa, quæ cupiam exhibetur ob suam Sacram, & supernaturalem excellentiam.

Hæc verò Sacra, sivè Religiosa adoratio in tres cõmunitèr solet dividi species, quarum altera Latria est, Hyperdulia altera, & tandèm Dulia tertia. *1ma:* Juxtà receptum Theologorum sensum significat supræmam illam & singularem Adorationem, quæ soli Deo proptèr summam, & infinitam ejus debetur excellentiam, atq; ità definiri solet: *Adoratio Latriæ est actus Religionis, quo quis alteri se se submittit, tanquàm habenti suprà se supræmam excellentiam.* *2da.* Est ille cultus, qui exhibetur cuipiam Creaturæ proptèr singularissimam ejus excellentiam; & talis competit Beatissimæ Virgini Mariæ proptèr excellentiam Maternitatis Dei, specialissimam Sanctitatem, & alia excellentissima dona. *3tia:* Tandèm talem

lem cultum importare intelligitur, qui Sanctis debetur proptèr supernaturalem excellentiam eorum Sanctitatis,& gloriæ,quàm habent in Cœlis. His prænotatis:

Dico: Adorationem, sivè quempiam Religiosum cultum deberi Sanctis in Cœlo cùm Christo regnantibus, eisq; licitè Templa consecrari, & vota nuncupari:

Probatur 1mo: Sacra Scriptura probat Religiosum in Sanctos cultum, Ergò talis cultus eis debetur; aliàs enim illum Divinæ Literæ non probarent. *Pr. Ant:* Sacra Scriptura testatur maximæ pietatis Viros Religiosum cultum Angelis exhibuisse. Igitur *&c. Antecedens* est manifestum, Genes: enim cap: 19. Loth duos Angelos, qui Sodomam venerant. *Adoravit pronus in terrā.* Ibidèm etiàm de Abrahamo dicitur: *Cucurrit in occursum eorum,* (puta Angelorum) *de ostio Tabernaculi sui,& adoravit in terrā.* Paritèr Josue cap: 5. dicitur: Quòd postquàm conspexisset Josue Virum ex adverso stantem districto gladio, dixit: *Noster es, an Adversariorum? qui respondit: nequaquàm, sed sum Princeps exercitûs Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans ait. &c.* Quibus positis, tale nihil vetat efformari argumentum: Adoratio Angelis tùm à Loth, tùm ab Abrahamo, tùm à Josue exhibita, Religiosus fuit cultus; cùm illi Viri Sancti in Angelis honorarent eximiam Sanctitatem, & supernaturales dotes, quibus cùm Deo intimè conjunguntur. Atqui eadem omninò est ratio de Beatis hominibus, ac de ipsis Angelis, si ergò Angeli piè ac licitè Religioso adorantur cultu, eo quoq; coli debent, qui Cœlesti cùm Christo fruuntur beatitudine.

Confirmatur 1mo: Lib: 3. Reg: cap: 18. legitur: *Cumq; esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm agnovisset eum, cecidit supèr faciem suam.* Sed honor, quo Abdias Eliam prosequebatur, non erat honor politicus & Civilis; neq; enim Elias spectatis rebus politicis Abdia superior erat, qui unus fuit de Proceribus Regni, Ergò erat cultus Religiosus, id est Eliæ exhibitus proptèr propheticum Spiritum,quo illum præditum esse Abdias cognoverat. *Confirmatur iterùm:* Lib: 4. Reg: cap: 2. cùm intellexissent Prophetarum Filij Eliæ Spiritum in Elisæum transisse: *Venientes in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram.* Sed iste quoq; honor àP rophetarum Filijs Elisæo delatus non fuit ob aliquam terrenam dignitatem, benè verò ob Prophetiæ, quo eminebat donum, Ergò fuit Religiosus,

ſus, qui Creaturis defertur proptèr ſupernaturales dotes, præſertim verò eximiam, quâ eminent, Sanctitatem.

Probatur 2do: Eccleſia ſemper religiosè coluit & adoravit Sanctos cùm Chriſto regnantes, Ergò Religioſus cultus, ſcilicèt à virtute Religionis imperatus eis debetur. *Illatio* certiſſima eſt. Quod ſiquidèm ubiqué & ſempèr ab Eccleſia factum eſt, & cujus initium in Concilijs, alijſq; Eccleſiarum Decretis non reperitur, ex Apoſtolica traditione teſte Divo Auguſtino deſcendit; Atq; huic contradicere, quod ſponſa Chriſti, quæ columna & firmamentum veritatis eſt, ſempèr & ubiq; egit, ſuperbiſſimæ inſaniæ eſt. *Pr. Ant:* S. Auguſtinus Lib: 20. contrà Fauſtum cap: 21. Cultum Sanctorũ à Fauſti Manichæi dicterijs vindicat; Recenſetur idem cultus à Divo Hieronymo contrà Vigilantium ſcribente, à S. Gregorio Nanzianzeno, Ambroſio, Chryſoſtomo, & ab omnibus ferè quarti Eccleſiæ ſæculi Scriptoribus. Sed illam de Sanctorum cultu doctrinam citati Patres non ut novam rem, ſed antiquo Eccleſiæ uſu receptam tradiderunt, cùm nullus inventus ſit, qui novitati reſtiterit. Ergò quarti ſæculi Patres talem hauſerant doctrinam à Patribus tertij ſæculi, quibus cùm aliquandiú vixerant, Patres tertij à Patribus ſecundi ſæculi, & iſti quoq; à Patribus primi ſæculi, & illi tandèm ab ipſis Apoſtolis. Ex quô prono ſequitur alveo: Eccleſiam ſempèr, & ubiq; religiosè Sanctos cùm Chriſto in Cœlis regnantes coluiſſe, ac adoraſſe.

Probatur 3tio: Sanctis videlicèt licitè extrui Templa: Nulla lege legimus eſſe prohibitum, nè oratoria, & Baſilicæ Sanctis conſecrarentur, Ergò Catholici id facientes fruſtrà ab Hæreticis criminis accuſantur; Nàm ubi non eſt Lex, ibi prævaricationem fieri quis autumabit?

Confirmatur: Jis etiàm temporibus, quibus ipſi fatentur hetherodoxi, puriſſimam, atq; omnis labis expertem fuiſſe Eccleſiam, Oratoria, & Baſilicæ Sanctis cùm Chriſto regnantibus dicata fuêre. Igitur *&c. Antecedens* vidètur eſſe certum. Nàm Concilium Gangrenſe Baſilicas Martyribus conſecratas Can: 10. probavit; Quòd ipſum præſtitit etiàm Chalcedonenſis Synodus, cujus Patres in actis Concilij dicuntur congregati: *In Eccleſia Sanctæ, ac triumphantis Martyris Euphemiæ.* Patres quoqué Concilij Epheſini dicunt: ſe conveniſſe: *In Sanctiſſima Eccleſia, quæ dicitur Mariæ.* His accedunt Sancti Eccleſiæ Patres, Cyrillus videlicèt, Athanaſius, Gregorius Nanzianzenus, & Chryſoſtomus de pluribus templis

fidem

fidem facientes, quae ipsorum temporibus diversis Sanctis dicari, consecrariqué cernebant: His utroq; subscripserunt pollice Eusebius, atqué Evagrius antiquiores Historici. Hunc quoq; morem, de quo controvertimus, non in Solo Oriente, sed etiàm Occidente obtinuisse testes sunt S. Ambrosius,& Hieronymus,quorum alter Epist: 5. ad Felicem Episcopum Comensem sic loquiiur: *Ortus est sermo de Basilica, quàm condidit, Apostolorum nomine dedicanda.* Alter verò Lib: contrà Vigilantium dicit: *Ingredere Basilicas Martyrum.* Mitto Concilium Carthaginense 5. hanc ipsam veritatem testificans. Mitto omnes alios Patres, qui à quarto Ecclesiae saeculo, ad haec usq; vixerunt tempora, usum de Basilicis, Oratorijs, & memorijs probantes. Ergò Novatores decimo sexto Ecclesiae saeculo nati, hanc Sanctissimam praxim idololatriae insimulantes, hujusmodi crimen illi impingunt Ecclesiae, quàm prioribus temporibus purissimam, ac Sanctissimam fuisse fateri vel inviti coguntur.

Probatur ultimò: Sanctis cùm Christo regnantibus licitè vota nuncupari: Eusebius Lib: 13. Praepar: Evangelicae cap: 7. inquit: *Nos, qui verae pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum Martyrum accedimus, votaq; illis facimus, tanquàm Viris Sanctis, quorum intercessione ad Deum non parùm juvari profitemur.* Similitèr Theodorethus Lib: 8. ad Graecos, Varia à Martyribus peti dicens sic loquitur: *Pié, fideliterq; precatos, ea maximé consequi, quae desiderant; Nàm alij quidém oculorum, alij pedum, alij manuum simulacra suspendunt, ex argento, aurové confecta.* Gregorius paritèr Turonensis Lib: 2. Francorum historiae meminit voti, quòd Regis Clodovaei nomine Regij Ministri S. Martino nuncuparunt dicens: *Domino gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes, laeti nuntiaverunt Regi, &c.* Sed haec antiquissimi Ecclesiastici Scriptores dùm scripserunt, nullum sibi contradicentem conspexerant usq; ad decimum sextum Ecclesiae saeculum, quo Lutherus & Calvinus ex Patre diabolo sunt progeniti. Ergò *&c.* Neq; est cùr Adversarij in suum advocent patrocinium Divum Thomam, qui 3. par: q. 25. art: 3. asserit: Votum est promissio facta Deo tanquàm primo principio, & bonorum omnium Authori. Jàm verò votum ità acceptùm soli Deo convenire debet, cùm teste eodē Divo Thomâ sit Latriae cultus. Igitur (inferunt) Sanctis nuncupari non debet. Nàm desperatae causae sunt ista subsidia. Angelicus enim Doctor de voto strictè sumpto intelligendus est, quòd utiq; Soli Deo nuncupari

debet;

debet; At verò Catholici dùm vota sua Sanctis quoq; reddunt, votum in latiori accipiunt significatione, quatenùs videlicèt illud sit promissio facta de aliquo bono in signum gratitudinis ob acceptum, aùt accipiendum beneficium, à DEO *&c.*

Objicies 1mo: Actorum cap: 10. legitur: *Cornelius accedens ad ejus* (puta Petri) *pedes adoravit. Petrus veró erexit eum dicens: Surge, & ipse homo sum.* Ex quô tale fit argumentum: Cornelius utpotè Vir Religiosus ac timens Deum, adoratione, quàm Petro impendit, noluit ei Latriæ cultum exhibere, sed nonnisi Duliæ, atqui hunc cultum sivè adorationem Petrus improbavit, atq; prohibuit, quasi significare volens: Cultus ille Deo, non autèm homini, ut sum ego, exhiberi debet. Ergò *&c.*

Similia præstiterunt Paulus & Barnabas actor: cap: 14. qui cùm præsensissent cultum hominum in Lycaonia sibi imminere, sic turbam affati sunt. *Viri, cùr ista facitis? nos quoq; sumus homines, ijsdem quibus vos affectionibus obnoxij.* Hinc eâ ipsâ ratione se gessit Angelus cùm Joanne, sicuti Apocalip: cap: 19. dicitur: *Procidi ad pedes ejus, sed dixit mihi: Vide nè feceris, conservus tuus sum, & Fratrum tuorum habentium testimonium JESU, DEUM adora.*

℞. Ad hæc omnia: N. *Conseq:* & dico: Fateor utiq; Cornelium Petro, & Joannem Angelo unicè Duliæ cultum, non autèm Latriæ exhibere voluisse, sed inficior illum cultum sivè à Petro, sivè ab Angelo fuisse improbatum. Dùm verò Adversarij urgent: Cùr igitur Petrus & Angelus illum cultum sibi exhiberi noluerint? Repono id actum ab illis fuisse solius humanitatis & modestiæ gratia: Eo ferè modo, quo Viris, à quibus exteriùs colimur, solemus dicere: ut cooperiant caput, & nè coràm nobis procumbant. Hanc responsionem firmo ex S. Joanne Chrysostomo, qui homil: 28. in cap: 10. Actor: sic loquitur: *Hoc faciens* (intellige Cornelius) *humilitatem suam ostendit, & alios docuit, Deoq; gratias agit, ac declarat, quod licèt jussus sit, tamèn & per se multam habeat promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge, nàm & ego homo sum. Vide quomodo præ alijs illos doceat, nihil de se magnum sentire.* Eodem modo illum interpretatur textũ S. Gregorius Magn: Lib: 21. Moral: Cæterùm quòd spectat ad testimonium desumptum ex cap: 14. Actor: dico: Illud de sola Latriæ adoratione intelligi posse; ac proindè mirùm non esse Barnabam & Paulum, tàm sollicitè cavisse, nè sibi à Lycaonibus Divinus defferretur Cultus; Nàm S

Augusti-

Auguſtinus lib: 20. contrà Fauſtum cap: 21. inquit: *Apparuit hoc in Paulo & Barnàba, cúm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonici tanquàm dijs immolare voluerunt.*

Inſtabis: Sanctus Hieronymus Lib: contrà Vigilantium cap: 3. ait: *Nàm Paulus & Barnabas, cúm à Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, ſe homines eſſe dixerunt, quòd ſub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus, qui Cornelium ſe adorare cupientem, manu ſublevavit, & dixit: Surge, nàm & Ego homo ſum.* Et S. Auguſtinus Lib: de vera Reliq: cap: 55. ſic loquitur: *rectè itaq; ſcribitur hominem ab Angelo prohibitum, né ſe adoraret, ſed unum Deum, ſub quo ei eſſet & ille conſervus.* Sed his teſtimonijs uterq; Sanctus Doctor non alium Religioſum, quàm Latriæ cultum agnovit. Ergò aùt Sanctis Latriæ cultus exhibendus eſt, aùt nullus.

℟. Admiſſis illorum Patrum teſtimonijs. N. *Min:* Varijs enim in Locis alium cultum, qui Latriâ minor ſit, quemq; Duliæ cultum vocamus Sancti illi Doctores agnoverunt. Etenim *1mo:* Docuerunt piè Sanctos invocari: *2do:* Aſſeruerunt feſta religiosè inſtitui in illorum honorem. *3tio:* Scripſerunt Viventes cùm Laude eis Baſilicas, Oratoria, & memorias conſecrare. At verò hæc omnia ſolùm Civilem cultum non ſvadenti cùm ab ipſis Imperatoribus ſæpè mortuis exhibetur, qui in infima plebis conditione vixerunt: Sicuti Divus Chryſoſtomus ſcribit: Conſtantinum, qui ad limen, Baſilicæ, quam vivens Apoſtolis conſecrârat, Sepultus eſt, poſt mortem factum fuiſſe piſcatoris Janitorem.

Objicies 2do: Cultus, qui Sanctis defertur, eſt religioſa ſervitus ergà Creaturas, atqui religioſa ſervitus ergà Creaturas à DEO prohibetur Deuter: cap: 4. dicente: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi Soli ſervies.* Ergò *&c.* ℟. D. *Maj:* Cultus, qui Sanctis defertur, eſt religioſa ſervitus ergà Creaturas minor ſervitute Latriæ. C. *Maj:* Non minor ſervitute Latriæ N. *Maj:* Et quæ ſequuntur. De iſta, non verò de illa intelligi debent citata ex Deuteronomio verba, juxta illud Divi Auguſtini Lib: 1. de Trin: cap: 6. *Idololatriæ dicuntur, qui Simulacris eam ſervitutem exhibent, quæ debetur Deo, ſecundùm enim hanc ſententiam dictum eſt: Dominum DEUM tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Objicies 3tio: Idololatriam redolet Templa Creaturis conſecrare ipſiſq; aram erigere. Sed Sancti cùm Chriſto in Coelis regnantes ſunt creaturæ,

Ergò

Ergò illis licitè Templa erigi non possunt. Pr. *Maj:* S. Augustinus Lib: 1. contrà Maximinum Arianum ait: *Si Angelo faceremus Templum, anathematizaremur à veritate Christi, & Ecclesia DEI.*

Rf. D. *Maj:* Idololatria est Creaturis consecrare Templa in ordine ad Sacrificium. C. *Maj:* In ordine ad aliud opus à Sacraficio diversum. N. *Maj:* & Concessâ *Minori*, N. *Conseq:* De Templo itaq; secundùm priorem sensum accepto loquitur S. Augustinus, cùm Sacrificium uni & soli Deo debeatur, non item verò Sanctus Doctor intelligendus est de Templo, secundùm posteriorem sensum sumto; Undè ipsemet Sanctus Doctor multis in locis asserit: Memorias, Martyria, Oratoria, atq; Basilicas SS. consecrari.

Objicies ultimò: Voti nuncupatio est Latriæ cultus, cùm accipi soleat pro promissione Soli Deo facta. Ergò si in Romana Ecclesia Sanctis vota nuncupantur, jam illis Latriæ cultus exhibetur, quòd certè aliud non est, quàm idololatriæ species.

Rf. D. *Ant:* Voti strictè sumti nuncupatio est Latriæ cultus. C. *Ant:* Voti in Latiori significatione accepti N. *Ant:* & *Conseq:* Votum itaq; Latè sumtum est quælibet promissio, abstrahendo an Deo, vel Creaturæ fiat, & hoc unicè, non verò primum Sanctis in Romana Ecclesia nuncupari solet, ac proindè votum Sanctis nuncupatum nè dicas esse Latriæ cultum; alioquin enim quælibet promissio, in rebus ad Religionem spectantibus, Ecclesiasticis facta Præpositis, Latriæ cultus foret, quod nec ipsi quoq; Protestantes audebunt dicere.

Instabis: Sed in Romana Ecclesia vota strictè sumta Sanctis nuncupari solent, sempèr ergò manet difficultas. *Pr. Subsumpta:* Fratres Prædicatores in Religiosa emittenda professione dicunt: *Voveo DEO, Beatæ Mariæ, & omnibus Sanctis, me Prælato meo fore obedientem.* Sed tale votum Religionis in stricta significatione accipi debet. Ergò *&c.*

Rf. N. *Subsumptam,* ad *probationem* Concessâ *Majori,* D. *Min:* Illud Religionis votum in stricta signifiatione accipi debet respectu DEI, *C. Min:* Respectu Beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, N. *Min:* & *Conseq:* Religiosæ professionis votum soli Deo strictè & propriè fit, non item verò Sanctis, ac Beatæ Virgini; Neq; quidquàm facessit: Solemne votum Sanctis quoq; nuncupatum sub gravi obligare peccato, non secùs ac votum ipsi DEO promissum, siquidèm votum non solùm strictè sumtum, sed etiàm Latè acceptum eodem vinculo hominem ligare potest.

Instabis: Votum in eo tantùm sensu accipi debet, quo in Scripturis reperitur, sed in scripturis tantùm sumitur pro proponimento Soli Deo facto, frustrà ergò ad promissionem Creaturis factam detorquetur.

℟. N. *Maj:* Cùm enim voces ex hominum instituto, non autèm ex sua natura sint significativæ, possunt pro vario usu, & recepta consvetudine, modo unum, modo verò aliud significare; Hinc antiquiores Ecclesiæ Patres, ut ostendit Gaspar Ivenin votum ad promissiones, quæ Creaturis fiunt, extendere solent. Pro Coronide præsentis Controversiæ colligere debemus: Cultum Religiosum, qui ab Ecclesia Sanctis cùm Christo regnantibus exhibetur, nequaquàm esse Latriæ cultum, ut Lutherani & Calvinistæ Catholicæ imponunt Ecclesiæ: eamq; ut Idololatriæ ream calumniantur. Nàm postquàm quarto Ecclesiæ sæculo idem crimen Catholicis Vigilantius imposuerat, sic à Divo Hieronymo depulsus est. *Quis enim, o! insanum caput, aliquandò Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?* Eandem calumniam à Fausto Manichæo Ecclesiæ impactam Divus Augustinus Lib: 21. contrà eundem exarato feliciter depulit, constantèr negando, Sanctos adorari Latriæ cultu, cùm eis Sacrificium ab Ecclesia non offeratur. Urgente verò Fausto: Quâ igitur cultûs specie Ecclesia Martyres prosequatur? reponit Sanctissimus Doctor: Cultū, quem Ecclesia Martyribus exhibet, ejusdem esse cùm eo speciei, quo pij Viri in terris degentes coluntur. Rem totam sic brevi calamo Divus Augustinus conficit eodem præcitato Libro: *At illo cultu, qui Græcè Latria dicitur, Latino uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè Divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum ducimus, nisi unum Deum.*

QUÆSTIO TERTIA

UTRUM IMAGINES SANCTORUM ADORARI DEBEANT?

ICONomachi, sivè Iconoclastæ, contrà quos celebratum fuit secundùm Nicænum Concilium, quod septima Synodus nuncupari solet, omnem Religiosum Sacrarum imaginum cultum idololatricum esse censebant, eo solùm demto, qui veræ Christi Domini Cruci, & ejus figuræ exhibetur. Hæretici quoq; quos nunc Protestantes vocitare solemus, pòst Calvinum, & Claudium Taurinensem, qui imperante Ludovico Pio, octavo

vixerat

vixerat sæculo, contendunt: eum quoq; Religiosum cultum, qui sivè veræ Christi Domini Cruci, sivè illius figuræ, sivè Christi, sivè Sanctorum Imaginibus defertur, superstitiosum esse.

Ut verò hanc de Sacris Imaginibus Controversiã accuratiori methodo pertractemus, altiùs rem ipsam auspicabimur, statuentes imprimis: Nùm Deus in antiqua lege prohibuerit omnes prorsùs imagines, aùt pingere, aùt sculpere, circa quod etiàm Catholicorum Theologorum non unam esse sententiam notavit Clarissimus Gaspar Iveninus. Deindè ostendentes: Nùm in novo Testamento sit licitum Imagines pingere, aùt Statuas, Sanctissimam Trinitatem, Christum, Angelos, Sanctosq; repræsentantes sculpere. Declarantes itèm: nùm Imagines sivè sculptæ, sivè pictæ in Templis collocari debeant, ac tandèm Catholicam firmantes veritatem: Nùm Sacris Imaginibus aliquis cultus exhibendus sit. Ad horum primum.

Dico 1mo: Quamcunq; Veri DEI Imaginem, aùt sculpturam positivo, ac Ceremoniali præcepto in antiqua lege prohibitam fuisse; Imò probabilitèr idem dicendum esse de usu omnium Imaginum, quæ per se starent.

Probatur 1mo: Deuteronom: cap: 4. sic Moyses populum, Deo utiq; jubente, alloquitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, quâ locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, nè fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aùt Imaginem masculi vel fœminæ, similitudinem omnium, quæ sunt supér terram.* Sed his verbis fit manifestum DEUM prohibuisse, nè fieret imago, in qua ipse deinceps adoraretur. Ergò DEI sivè Imago, sivè sculptura in antiqua Lege divinitùs prohibita fuit.

Probatur 2do: De quacunq; Imagine per se stante. Deuteron: cap: 5. Deus prohibet cujuslibet rei sivè Spiritualis, sivè Corporeæ efformationem dicens: *Similitudinem omnium, quæ sunt supér terram non facies.* Pari modo Exodi cap: 20. eandem prohibitionem legere est: *Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinem,* (id est nullam) *quæ est in Cœlo desupèr, & quæ in terra deorsùm, neq; eorum, quæ sunt in aquis sub terra.* Cui negativo præcepto aliud distinctum statim additur: *Non adorabis ea, neq; coles.* Igitur *&c.* *Probatur 3tio:* Philo Judæus lib: de Decalogo scribit: *In secundo præcepto prohiberi: Manufacta, ut simulacra, statuas, & universé quæcunqué dedicantur in templis, quorũ pictura, & fictorum ars noxia, sunt opifices.* In Lib: paritèr de Legatione ad Cajum testatur: Pictores, & Statuarios omnes à Moyse ex Republica, & finibus Judæorum ejectos fuisse. Cen-

fuit ergò ille Scriptor non modo Dei similitudinem, sed omnium rerum, cujuscunq; sint generis Divinâ positivâ Lege fuisse prohibitam.

Hoc ipsum antè Philonem testatus est Josephus, siquidèm Lib: 17. antiquit: fidem facit Judæos ægrè admodùm tulisse, quod Hærodes vetante Lege aquilam auream suprà majorem Templi partem collocasset, hæc dicens: *Prohibet Lex erectiones Imaginum moliri, aùt quorumcunq; animalium effigies collocari, velút anathema ijs, qui ex illius præscriptione vitam suam componere voluerint.* Idem affirmat altero Lib: de bello Judaico. Imò Lib: antiq: 8. apertiùs Salomonem violatæ Legis accusat: *Quod æreàs boum effigies basi maris adjecerat, & Leouum in Throno posuerat: nefas enim erat ista facere.* Fit ergò manifestum omnium Imaginum usum Judæis in antiqua Lege positivo mandato fuisse prohibitum.

Objicies 1mo: Exod: cap: 25. Deus Moysen alloquens inquit: *Duos quoq; Cherubim aureos, & productiles facies ex utraq; parte oraculi. Item* Lib: 3. Reg: cap: 6. de Salomone dicitur: *Et fecit in Oraculo duos Cherubim decem Cubitorum altitudinis.* Idem Salomon posuit in Templo boum, Leonum, & Cherubinorum, palmarum quoq; & malogranatorum figuras, ut Legere est Lib: 3. Reg: cap: 7. Idem paritèr ad suum Thronum posuit Leonculorum statuas, ut eodem Libro cap: 10. asseritur. Tandèm Math: cap: 22. hæc Christi leguntur verba: *Cujus est Imago hæc, & superscriptio?* Quibus Verbis significavit in communi usu recepisse monetam, cui insculpta erat Cæsaris effigies. Falsum ergò est, Judæis omnium figurarum, statuarum, & Imaginum usum fuisse prohibitum.

℞. Admisso *Antecedenti,* N. *Conseq:* Et dico: Omnes illas figuras fuisse Dei ipsius Jussu factas, qui præcepto suo, quod non est Juris naturalis, sed positivi tantùm, quale fuit præceptum de non faciendis sculptibus, aùt in toto, aùt in parte derogare pòtuit, quod verificari debet vel maximè de primo testimonio ex Exodo depromto. Quod spectat testimonia de Salomone adducta, equidèm Josephus, ut diximus, nam statuarũ erectionem crimini vertit, & Salomonem hoc facto legem violasse autumat; Verùm cùm scriptura nusquàm ea de re Salomonem arguerit, propterea meliori consilio dicendum esse putamus: Quod etsi illud derogatorium Dei mandatum, quò ad statuas à Salomone positas expræsè in Scripturis non legatur, cùm tamèn ille totum illud opus DEI jussu susceperit, facilè conjici potest, eum nihil, nisi ex Dei inspiratione molitum fuisse.

fuisse. Nec eò tunc periculum Idololatriæ erat, cùm scriptura incunctantèr moneret, ea omnia ad unius Dei gloriam erecta fuisse. Fuisse verò tale periculum aliarum figurarum occasione, eò quod perpetuum illud monitum quò ad illas non extitisset. Jàm verò quod attinet ad Judæorum monetam, reponendum censeo: Judæis cùm sui Juris erant, nullam unquàm suæ monetæ insculpsisse figuram; Usos verò posteà fuisse moneta Romanorum, proptèr summam necessitatem, nec enim tùnc Supræmâ potiebantur authoritate, idqué maximè Christi Domini tempore.

Instabis: Numeror: cap: 21. narratur: Moysen pòst promulgatam legem erexisse in Deserto æneum serpentem, Ergo non omnis Imago lege prohibita fuerat; alioquin Moyses reus fuisset violatæ legis, quàm ipse jubente DEO promulgaverat.

℞. D. *Ant:* Moyses erexit æneum serpentem ex Divina expressa dispensatione. C. *Ant:* Absq; tali dispensatione. N. *Ant:* & *Conseq:* Ex hac itaq; responsione, quæ Tertuliani est, nos plura colligere possumus, quæ nostram firmant sententiam. *1mum:* Quidèm: prohibitionem aliquâ effingendi similitudinem, sivè per picturam, sivè per sculpturam, non esse de Jure naturali, sed tantùm de Jure positivo Libero; cùm Deus in naturali Jure dispensare non valeat. *2dum:* Idolorum, sivè inanium Deorum artifices non posse suam artem, Moysis, qui serpentem erexerat, exemplo tueri. *3tium* Vero: posse eosdem artifices exemplum Moysis pro se adhibere, si per impossibile, Deus eos, sicuti Moysen in talibus factis dispensaret. Jàm verò discrimen esse intèr illam positivam legem, & aliam naturalem, quæ vetat idola, seù falsi numinis effigiem ad cultum effingere, hisce Verbis aperit Tertulianus: *Si nulla Lex Dei prohibuisset idola fieri à nobis, nulla vox Spiritûs Sancti fabricatoribus idolorum, non minùs quàm cultoribus cominaretur, de ipso Sacramento nostro interpretaremur nobis, adversas esse fidei hujusmodi artes.*

Objicies 2do: Præcepta Decalogi, testante Divino eloquio, sunt tantùm decem, atqui si lege prohibitum fuisset non solùm idola colore, sed & quascunq; imagines effingere, undecim forent ejusdem Decalogi præcepta. Igitur *&c.*

℞. C. *Maj:* N. *Min:* Hæc enim Verba: *Non habebis Deos alienos coràm me,* & hæc alia: *Non facies tibi sculptile --- Neq; eorum similitudinem, --- Non adorabis ea, neq; coles;* Pro uno eodemq; poni præcepto indubium,

est,

est, cùm eodem perpetuo proferantur tenore, & utrorumq; observatio ad eandem Religionis Virtutem, & transgressio ad idem Supèrstitionis pertineat peccatum. Et sanè quamvis facere sculptile, atqué imaginem effingere, ex sua natura non sit contrà Religionem, nec quidpiàm superstitiosum, positivâ tamèn lege id prohibente, in materia Sacrilegij contrà Religionem constituitur, cùm non solùm Divina, sed humana quoq; positiva Lex hanc vim obtineat, ut id quod præcipit, constituat in materia necessaria illius virtutis, intuitu cujus aliquid jubet.

Objicies 3tio: Irenæus Lib: 4. adversùs Hæreses cap: 31. asserit: Omnia Decalogi præcepta esse præcepta Juris naturalis, uno tantùm demto de Sanctificatione Sabbathi, quod ipsum docet S. Augustinus Lib: de Spiritu & Litera cap: 4. Atqui si illis verbis: *Non facies tibi sculptile,* contineretur præceptū positivæ legis, à præcepto legis naturalis de non adoratione idolorum distinctum, jàm prætèr legem de Sanctificando Sabbatho, alia esset Ceremonialis & positiva Lex, quâ prohiberetur omnium imaginum usus. Ergò &c.

℟. Concessâ *Majori*, D. *Min:* Jàm prætèr præceptum de Sanctificatione Sabbathi, alia esset Ceremonialis Lex, quæ constituat minùs præcipuam partem primi Decalogi præcepti. C. *Min:* Quæ constituat, præcipuam illius partem. N. *Min:* Quamvis itaq; præter præceptum de Sanctificando Sabbatho, sit quidpiam aliud Ceremoniale mandatum, cùm tamèn præcipua non sit pars primi Decalogi præcepti, ideò meritò à SS. Augustino, & Irenæo prætèr Legem de Sanctificatione Sabbathi non esse aliud Ceremoniale præceptum in Decalogo asseritur.

Dico 2do: Licitum esse in novo Testamento Dei figuram effingere, non quæ illius repræsentet essentiam, sed formas sensibiles solum, sub quibus apparuit. Conclusio tres habet partes, ex quibus

Probatur 1ma pars: Si in novo Testamento licitum non esset Dei figuram efformare, hoc vel maximè ideò, aùt videlicèt quia id ex se malum foret, aùt quia aliquâ positivâ lege prohiberetur. Sed neutrum horum verùm est. Igitur &c. *Pr. Min:* Non quidèm primùm. Nàm Deo effabricare effigiem ideò ex se malum esset, quod corporea & finita figura Spiritualem, & infinitam Substantiam exhibere non valet. Atqui dùm in novo Testamento Dei figura effabricatur, illa non Dei substantiam, pro ùt in se est, sed tantùm Sensibiles formas, sub queis olim hominibus ap-

paruit,

paruit, exhibere intendit. Non ergò ex se malum est Dei figurã effabricare. Sed neq; id malum esse potest proptèr aliquam prohibentem Legem positivam. Nàm imprimis nulla est hujusmodi positiva Lex, quæ id in novo prohibeat Testamento. Deindè Lex, quæ olim in antiquiori Testamento id prohibuerat, merè Ceremonialis erat, ac proindè per Evangelij promulgationem abrogata censeri debet. Igitur *&c.*

Probatur altera pars: Divus Thomas ex S. Damasceno probat: Impietatis, ac stultutiæ talem reum fore, qui Divinæ essentiæ imaginem aùt sculperet, aùt depingeret dicens: *Quia, ut Damascenus dicit, insipientiæ summæ est, & impietatis, figurare quod est Divinum.* Idem verò S. Thomas Deum Incarnatum posse in Imagine præsentari hâc ratione contendit: *Sed quia in novo Testamento Deus factus est Homo, potest in sua imagine corporali adorari.* Cùm ergò Divina essentia præcisa tùm ab Incarnatione, tùm ab apparitionibus, sub quibus olim fuerat visa, expers sit cujuslibet corporis, nequé ad illud ullam rationem dicat, nequit in Imagine, aùt Statua figurari.

Probatur 3tia pars: Septima generalis Synodus, quæ est Nicæna altera, actione 4tâ decrevit: Angelos ideò in Imaginibus exprimi posse, quod *Justis hominibus humanâ specie apparuerint.* Atqui etiàm Deus humanâ sensibili specie à pluribus visus est. Ergò *&c. Pr. Min:* Genes: cap: 3. Deus se videndum Adamo præbuit ad auram deambulans. Verbum quoqué Divinum, juxtà plurimorum Sanctorum Patrum Sententiam, Moysi, pluribusq; Patriarchis, ut homines ad Incarnationis fidem disponeret, sub humana apparuit specie. Spiritus deniq; Sanctus Math: cap: 13. sub specie sensibilis columbæ in Christum descendisse visus est. Atqui illæ formæ sensibiles fuerunt. Ergò Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritûs Sanctus sub sensibilibus formis apparuerunt, adeoq; *&c.*

Objicies 1mo: Gregorius Papa talis nominis Secundus Epist: 1. ad Leonem Isauricum, Iconomachorũ Principem ait: *Cúr Patrem Domini nostri JESU Christi spectandum minimè proponimus ac pingimus?* Deindè Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, qui sub idem vixerat tempus, Epist: ad Joannem Synadensem Præsulem ait: *Non enim invisibilis Deitatis Imaginem, aùt Similitudinem, aùt figuram, aùt firmam aliquam exprimimus.* Nullâ ergò ratione licitum est DEI Imaginem effabricare.

℟. Admisso Antecedenti, D. *Conseq:* Nullâ ratione licitum est DEI

Imagi-

Imaginem effabricare, ut illius natura in se sumta repraesentetur. C. *Conseq:* Ut illius apparitiones, & facta manifestentur. N. *Conseq:* Jàm verò praecitatos in argumento Viros in primo tantùm, non item verò in altero sensu Dei Imagines damnavisse, facilè ex eo ostendi potest: Tum quia Gregorius II. citatis Verbis hæc alia subjicit: *Nimirùm quia nescimus, quis sit, & DEI naturam in conspectum adducere, ac pingere nemo potest.* Quod verò rem pro nobis conficere videtur, illud est, quod addit: *Quod si eum vidissemus, & nossemus, si aùt filium ejus, etiàm ipsum videndum proponere, ac pingere possemus.* Tùm etiàm quia Germanus ille Patriarcha dicit: Tantùm Deitatis Imaginem non exprimi, adeoqué; non damnat eos, qui non ipsam, ut in se est, Deitatem exprimunt, sed illius aùt facta, aùt sensibiles apparitiones, quæ leguntur in Scripturis, detegunt.

Objicies 2do: Origenes Lib: 6. contrà Celsum Epicureum, cùm Gentilibus idolorum Cultum ebjecisset, sic eorum responsionem intercludit: *At tametsi quidam eorum idola ista Deos esse negent, sed verorum expræssas similitudines esse dicant: nihilominùs etiàm isti in sordidorum Opificum manibus divinitatis imitationem esse fingentes sibi, imperiti sunt, & mancipia.* Quibus verbis fit manifestum Origenem condemnasse Gentiles, eò quod putarent Divinitatis imaginem sculpi aùt pingi posse. Similia his docent S. Augustinus Lib: de Fide & Symbolo cap: 7. & Divus Ambrosius in Psal: 118. Non est ergò licitum in novo Testamento DEI Imaginem pingere.

℞. N. *Conseq:* In sensu datæ distinctionis ad priorem argumentationem, & dico: S. Augustinum eas solùm Dei imagines execrari, quæ Deo, ut in se est, membra attribuunt, inquit siquidem eo loci: *Nè Deum putemus habere corporalia membra.* Divi Ambrosij verba de Deo paritèr in se spectato fore intelligenda, queis Gentiles arguit, qui autumabant: Statuis, ac picturis Deum ut in se est, exhiberi, eo quod vellent eum etiàm pro ùt in se est, corporea habere membra. Nèc alius est Origenis contrà Celsum disputantis sensus; Celsus siquidèm cùm alijs gentilibꝰ censebat, dijs vera inesse membra, indèq; colligebat, simulacra esse genuinas illorũ imagines.

Objicies 3tio: Imago DEI etiàm in suis apparitionibus considerati, periculo esse potest, fidelem populum in Idololatriam attrahendi, ergò proptèr tale periculum DEI effingere Imaginem nefas omninò est.

℞. Imprimis: Cùm in populo fideli periculum adesset scandali, equidèm non esse Divinarum apparitionum imagines depingendas. Cæterùm tali

periculo

periculo itum est obviam à Tridentino Concilio, quòd Ecclesiarum Pastoribus injunxit, quatenùs fideles instruêrent: *Non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aùt figuris exprimi possit*, sed tantùm hujusmodi figuras efformari licere, ad deducendam indoctam plebem ad cognitionem, vel memoriam historiarum, atq; narrationum, quae de Deo in Scripturis continentur.

Objicies ultimò: Hieremiae cap: 10. Imago Lignea vocatur doctrina vanitatis; & Abacuc cap: 2. Vocatur eadem Imago conflatilis, proptèr doctrinam mendacij. Ergò quælibet DEI Imago nonnisi cùm periculo depingi potest. ℟. N. *Conseq:* & dico: Textus ex citatis Prophetis petitos intelligendos esse de inanium Deorum Imaginibus, adeoq; nullum nobis negotium facessere.

Dico 3tio: Sacras Imagines rectè ac ritè in Templis collocari.

Probatur: Qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, Sacras Imagines in Basilicis collocârunt, ergò etiàm his temporibꝰ ritè in ijsdem collocantur.

Pr. Ant: Antiquissimus Patrum Tertulianus narrat: Christi sub forma Pastoris ovem in Ovilem reducentis imaginem Sacris Calicibus insculptam fuisse. Sozomenus Lib: 4. suæ histor: scribit: Statuam Christi, quam erexerat Syrophænissa in Templum à Christianis religiosè introductam fuisse. Eusebius Lib: 3. de Vita Constantini testatur: In Templis à Constantino extructis in Palæstina multam fuisse aurearum & argentearum imaginum copiam. Id ipsum referunt Sanctus Gregorius Nyssenus, Sanctus Gregorius Magnus, & alij ex antiquioribus Patribus.

Confirmatur: Ineunte sæculo septimo ubiq; in Basilicis Sacræ Imagines visebantur. Siquidèm eo tempore, quo habita est altera Nicæna Synodus, talis usus & in Oriente, & in Occidente invaluerat; Leo namq; Isauricus, & Constantinus Copronymus, quorum eterq; Imperatoriâ potestate suffultus, bellum Sacris Imaginibus indixerat, curârunt, ut ex omnibus Christianis Basilicis quantocyùs auferrentur. Igitur antè illorum tempora Ecclesia in suis ædibus Sacras Imagines collocare solita fuit. Deindè Patres Francofordienses, qui Nicæno secundo Concilio reluctati sunt, Imaginum in Templis usum admisêre; Nec non ij, qui eodem fermè tempore Parisiensi Conventui sub Ludovico Pio adfuerunt, ut fit manifestum ex Libr: Jonæ Aureliensis de Imaginibus, ubi Claudio Taurinensi summo crimini vertit, quod & Crucem, & aliàs Sacras Imagines ex

Templis abstulisset. Tandèm Divus Gregorius Magnus, qui duplici Epistolâ arguit Serenum Massiliensem Episcopum, quod Sacras Imagines nescio quo prætextu è Templis suæ Diecæseos rejecerat, in altera harum Epistolarum ait: *Dic Frater, à quo factum Sacerdote aliquandò auditum est, quod fecisti? Si non aliud, vel illud te debuit revocare, ut despectis alijs Fratribus, solùm te Sanctum, & esse credideris Sapientem.* Postremò Adrianus Papa 1mus Epist: ad Carolum pro Nicæna 2da Synodo scripta, expresè asserit: Tempore sexti Concilij generalis ubiq; in Templis Sacras Imagines collocatas fuisse._ Et ab illo tempore ad Calvini, & aliorũ Novotorum tempora ubiq; terrarum idem usus obtinuit. Igitur *&c.*

Objicies 1mo: Primis tribus Ecclesiæ sæculis nullus erat in Basilicis Imaginum usus; Ergò nùnc temporis licitus non est. *Pr. Ant:* Concilium Eliberitanum, longè ante primum Nicænum habitum Can: 36. hæc habet: *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, nè quod colitur, aùt adoratur, in parietibus depingatur.* Igitur *&c.*

℞. Varias huic argumento Doctissimi, ac de re literaria optimè meriti Viri adhibent Responsiones, ex quibus hanc unicam seligere placuit; Eo videlicet Eliberitani Concilij Canone non vetari simpliciter & absolutè picturas esse in Templis, sed tantùm prohiberi nè Imagines in parietibus depingantur, idq; nè Imagines parietibus adhærentes aùt ludibrio gentilium exponerentur, aùt nè præberetur occasio credendi, non minùs in Christiana Religione, quàm in gentilitate esse simulacra, quibus Latriæ defferretur cultus, aùt tandèm nè non satis reverentèr viderentur collocatæ, cùm Imagines in parietibus depictæ, splendorem facilè, & pulchritudinem amittant, nèc ità ad venerationem movent, quemadmodùm si in tabulis, aùt per se collocarentur. Hoc verò imprimis fit manifestum ex illis postremis Canonis verbis: *Nè quod colitur, aùt adoratur, in parietibus depingatur;* Quæ voces significant, parùm decere, ut quod est Religiosi cultûs objectum, in eo collocetur loco, cujus tectorium facilè decrustari, ac etiàm fædari possit. Colligitur quoq; hæc ipsa Responsio ex antiqua & constanti totius Hispaniæ, in qua tale Concilium habitum fuit, consvetudine; In paucis siquidèm illius Regni Templis (ut observatum est à Teste de visu Gabriele Vasquesio) prætèr S. Christophori effigiem, Imagines in parietibus depictæ reperiuntur, sed plurima Templa aùt depictis tabulis, aùt inauratis ligneis statuis exornata sunt.

Objicies

Objicies 2do: S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus Epist: ad Joannem Hierosolimitanum ait: Se, dùm quemdam pertransisset vicum, scidisse velum in Templi foribus appensum, eo quod in eo contrà Scripturarum authoritatem quaedam esset Imago depicta; Atqui si Sancto Epiphanio probata fuisset consvetudo collocandi Imagines in Basilicis, non dixisset esse contrà Scripturarum authoritatem, nèc præ zelo illud velum scidisset; Ergò labente quarto Ecclesiæ sæculo, quo in humanis egerat Divus Epiphanius, Imagines in Templis non locabantur.

℞. Imprimis: Nonnullos doctissimos Viros arbitrari: Illam Epistolam non esse S. Epiphanij, sed suppostitiam, eò quod in Græcis exemplaribus illius operum minimè reperiatur; Alios verò affirmare: Illam quidèm Epistolam non esse omni ex parte suppostitiam, sed tantùm verba, quæ ex ea objecta sunt, eò quod Iconomachi in suo Conciliabulo, quòd falsò septimam Synodum generalem appellarunt, licèt aliqua S. Epiphanij loca in suam de abolendis Imaginibus sententiam detorserint, nusquàm tamèn verbis, de quibus agitur, usi fuerint, ea alioquin non ommissuri, cùm rem ipsorum saltèm primâ fronte conficere videantur. Verùm cùm hæc responsa non omnibus planè arrideant, ideò etiàm cùm Vasquesio dicimus: S. Epiphanium non ideò illud scidisse velum, quod in eo Christi, aút hominis pro Sancto recogniti depicta esset Imago, sed quod homini prophano, & nondúm pro Sancto agnito sacer exhiberetur honos. Id verò exindè fit manifestum: Nàm si illa fuisset imago hominis pro Sancto recogniti, S. Epiphanius hisce verbis usus non fuisset: *Habens imaginem quasi Christi, vel Sancti cujusdam,* sed potiùs dixisset: *Imaginem Christi, aùt Sancti;* Si enim illam deposuit & discidit, facilè judicare potuit, an revera esset Christi, vel alterius Sancti Imago! Fit etiam id ipsum clarum ex eo: quod cùm Templi Custodes obmurmurassent Divo Epiphanio dicentes: *Si scindere voluerat, justum erat, ut aliud daret velum.* Quibus auditis S. Epiphanius, promisit se aliud velum daturum, & illico murmuratio cessavit. Jàm si S. Epiphanius scidisset Christi, aut hominis pro sancto recogniti Imaginem, tàm facilè non quievissent Templi custodes, nèc passi fuissent impunè Divum Epiphanium illum damnasse morem, qui in alijs vigebat Ecclesijs, ut in 7ma Synodo artic: 6. Catholici demonstrant.

Neq; aliquod negotium facessere debet, quod idem S. Epiphanius asseruerit: *Contrà Scripturarum authoritatem,* velum illud depictum in Tem-

pli foribus appensum fuisse. Reverà enim contrà doctrinam Divinæ Scripturæ est, prophanum judicare Sanctum, illiq; Religiosum exhibere cultum. Cæterùm si res aliter se habeat, ac nos dicimus, Cur quæso Discipuli S. Epiphanij, in ejusdem S. Doctoris honorem in Cypro Basilicam erexerint, quam illius Imagine exornarunt, ut testis est 7. Synodus?

Instabis: Idem S. Epiphanius Epist: ad Theodosium Imperatorem hæc habet: *Et in hoc memoriam habete Filij dilectissimi, nè inducatis Imagines in cordibus vestris; Sed neq; in domum comunem, non enim expedit Christiano per oculos & vagationes mentis efferri.* Igitur *&c.*

℞. Et illam ad Theodosium Epistolam suppositam Epiphanio, & falsò illius nomine donatam fuisse ab Iconomachis in sui erroris patrocinium multimodis probant septimi generalis Concilij Patres. *1mo:* Ex eo, quod illa Epistola non reperiatur intèr S. Epiphanij opera. *2do.* Quia vero simile non est S. Epiphanium eam damnasse praxim, quam eadem illa Epistola testatur Sanctum Doctorem agnovisse probatam ab omnibus aliis, tùm Orientis, tùm Occidentis Præsulibus. *3tio:* Pseudo-Epiphanij textui ijdem Nicæni Patres opposuêre plures doctissimos Præsules, qui erant coævi Epiphanio Salaminæ Episcopo, videlicèt S. Basilium Magnum, S. Gregorium cognomento Theologum, S. Gregorium Nyssenum, nec non Sanctos Joannem Chrysostomum, & Cyrillum Hierosolymitanum. *4to:* Tandèm, quia S. Epiphanius eam disciplinam damnasse non est præsumendus, quam immediatè pòst illius mortem executioni mandârunt ejus Discipuli.

Objicies ultimò: S. Augustinus Epist: 49. ait de Imaginibus, sivè simulacris: *Ipsa similitudine animatorum membrorum, atq; sensuum, quamvis sensu, & animâ carent, afficiunt infirmos animos, ut vivere, ac spirare videantur.* Sed his verbis Sanctus Doctor censet, simulacra cùm in sublimi collocantur, nata esse populos in errorem inducere, Imagines ergò palàm in Templis collocari non debent.

℞. Admisso S. Augustini testimonio, D. *Min:* Simulacra inanium deorum, C. *Min*: Imagines Christi, aùt ejus Sanctorum, aùt Sacrarum historiarum. N. *Min:* & *Conseq*: Itaq; non de istis, sed de illis eo Loci S. Augustinus agit, disserit siquidem de Idolis, in quibus Gentiles putabant aliquid numinis latitare, quæ Idola ità similitudine membrorum & sensuum commovent gentilium animum, ut ipsis vivere videantur, proindèq; illos

in errorem inducunt; è contrà verò Christianis profitentibus: nullam Imaginibus inesse virtutem, nullamq; nisi ex exemplari extrinsecam dignitatem habere, tale periculum ne utiquàm est,præsertim accedentibus Pastorum monitis, quæ adhiberi jubet Tridentinum Concilium, nè rudes populi in errorem trahantur credentes non tantùm Sanctum prototypa, sed etiàm exemplaria, atq; exemplariorum Imagines vivere.

Dico 4to: Religiosum Cultum Sacris Imaginibus deberi.

Probatur 1mo: Cherubimi ad Arcæ Latera positi Imagines erant Apostolorum, atqui illis Cherubimis religiosus à Judæis exhibebatur Cultus. Ergò *&c. Minor* certa est. In majori enim reverentia apud Judæos Cherubimi habebantur, quàm res prophanæ. Ergò cùm prophanis rebus Civilis delatus fuerit honor, Sacris religiosus deferri debuit, id est à Virtute Religionis imperatus. *Deindè* Æneum serpentem, quem Moyses Dei jussu erexit in deserto, qui Judæos intèr Spirituales erant, sciverunt esse Christi in Cruce pendentis figuram, non poterant ergò ad ejus conspectum Christum non adorare. *Præterea:* Arcæ fæderis, quæ Dei exhibebat Majestatem, Judæi religiosum deferebant cultum, Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Josue cap: 7. dicitur: *Josue pronus cecidit supèr terram coràm Arca Domini usquè ad vesperam, tàm ipse, quàm omnes Senes Isràël. Similiter* Lib: 2. Reg: cap: 6. David Rex summa cùm Solemnitate eandem transtulit Arcam, atqui illa Solemnitas non Civilem præseferebat cultum, cùm Arca apud Judæos res erat maximè Sancta, Ergò is erat religiosus honor. *Idem* Propheta Psal: 98. Imperavit, ut Arcæ religiosa exhiberetur adoratio, veluti scabello, sivè Loco, in quo peculiari modo DEI Majestas residebat, dicens: *Adorate Scabellum pedum ejus, quoniàm Sanctum est. Pari modo* Judæi ad DEI nomen externa exhibebant venerationis signa, & Divus Paulus ad Philip: cap: 2. monet, ut quisqué audito JESU Nomine, in genua procumbat dicens: *In Nomine JESU, omne genu flectatur.* Atqui ideò Judæi audito DEI Nomine talia exhibebant signa, ideò etiàm Christiani ad JESU Nomen genua flectunt, quod DEI, & JESU Nomina sint DEI & JESU Imagines, non quidèm permanentes, ut sunt figuræ in tabellis depictæ, sed transeuntes; Proferant enim amabo Protestantes aliam horum rationem, & causam. Ergò Testante Divinâ Scripturâ, Sacris Imaginibus Religiosus honor exhiberi debet.

Ad hæc respondent Protestantes: Maximum discrimen honorem intèr,

quem

quem Judæi Cherubinis æneo serpenti, Arcæ fæderis, & DEI Nomini exhibebant, ac eum, quem Catholici deferunt Imaginibus; Nàm Judæi non colebant materiam, ex qua illa omnia constabant, nec sonos, seù Literas, ex quibus DEI Nomen coalescébat, venerabantur, sed unicè Majestatem DEI adorabant, cujus memoriam illa externa signa excitabant; Catholici verò & materiam, & Imaginum figuram colunt, proindequé meritò idololatriæ accusari debent.

Sed hæc calumnia Catholicis ea injustè imponit, quæ illi nè somniant quidèm. Fidem Catholicorum hac in parte satis expressit Sacrosanctum Tridentinum Concilium Sess: 25. Titulo *De venerat: Imaginum* asserens; *Quoniàm honos, qui eis exhibetur* (puta Sacris Imaginibus) *refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: Ità ut per Imagines, quas osculamur, & coràm quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Atq; adeò Catholici cùm antè Sacras Imagines aliqua venerationis edunt signa, non figuram, nec materiam Imaginum colunt, benè verò prototypa, quæ per Imagines repræsentantur.

Probatur 2do: Sacris Imaginibus religiosum cultum deberi testati sunt Patres, qui longè antè Protestantes, imò etiàm antè ipsos Iconomachos floruerunt, sed illos Idolalatriæ nec ipsi Protestantes accusare possunt, cùm illorum tempore Ecclesiam puram fuisse fateantur. Igitur *&c.* Pr. *Maj:* S. Chrysostomus Sermo: in lavationem 5tæ Feriæ sic loquitur: *Non tabulam honorantes, neq; persusam cerâ picturam, sed Characterem Imperatoris: Sic Creatura non terrenũ habitum, sed Cœlestem figuram veneratur.* Quibus verbis & veneratio Sacris debita Imaginibus,& modus venerationis clarè exprimitur. *Deindè* S. Basilius in Epist: ad Julianum transgressorem ait: *Undè & characteres Imaginum eorum* (putà Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum) *honoro, & adoro; præcipuè cùm hoc traditum à Sanctis Apostolis, & non prohibitum sit, quin & in omnibus Ecclesijs nostris ostendatur depictum. Tandèm* Dùm Iconomachi cultum Imaginum oppugnarunt, ubiq; ille cultus veluti pius ac licitus habebatur, cùm Imagines in omnibus Templis publicæ Venerationi exponerentur; Imò cùm & in ipsorum Iconamachorum Basilicis Crucis Imagines fuerint retentæ, & illis religiosus cultus sit delatus, Ergò omnibus retrò sæculis, quæ octavum præcesserant, idem honos Sacris Imaginibus fuit delatus, quem modo illis Catholici deferunt.

Eò vel magis, quod neq; Veteres Iconomachi, neq; Recentiores Protestantes notare possunt tempus, quo Imaginibus ille cultus deferri cæpit, nec nominatim designare authores, per quos primùm in Ecclesiam fuerit invectus. Igitur *&c.*

Objicies 1mo: In Veteri Testamento Scriptura vetuit omnem cultū sculptilibus esse exhibendū, quē Gentiles idolis, & Judæi simulacris detulerant, ergò nunc temporis non potest licitè talis cultus Imaginibꝰ sculptis præstari

℟. D. *Ant:* Vetuit omnem cultum Latriæ. C. *Ant:* Etiàm duliæ. N. *Ant:* & *Conseq:* Certùm itaq; imprimis est, Gentiles simulacra pro dijs habuisse, juxtà illud Sap: cap: 13. *Appellarunt deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inventionem, & similitudinem animalium.* Cujus etiàm criminis reos fuisse Judæos probat Sacra Scriptura Exodi cap: 32. ubi ad Aaron dixerunt tali pacto Judæi: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant,* & conflato vitulo, sic Aaron populo reposuit: *Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Certum insupèr est, Gentiles credidisse, deos suos inesse simulacris, per aliquam saltem virtutem, quibus illi thus adolebant, quæ omnia Latriæ cultum denotare videntur, atq; adeò merito ac jure in antiquiori Testamento vetita fuêre; Jàm verò Christiani Catholicâ cōmunione sociati neutrum horum credunt, Imagines nempè neq; Deos esse, neq; aliquam eis inesse virtutem, proptèr quam mereantur cultum, docente Tridentino Concilio Sess: 25. his Verbis: *Non quod credatur inesse aliqua in eis* (puta Imaginibus) *divinitas, vel virtus, proptèr quàm sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquod petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.*

Instabis: Sed in Ecclesia nequé in Sensu Tridentini Concilij Imagines licitè adorari possunt, Ergò nulla solutio. *Pr. Sub:* S. Irenæus Lib: 1. cap: 24. alios intèr Carpocratis, & Gnosticorum errores, hunc quoq; refert, ac refellit, quod depictā haberent Christi imaginē, eamq; coronarent. Igitur *&c.*

℟. N. *Sub:* Ad *probationem* dico: Carpocratianos, & Gnosticos superstitiosa Gentilium Sacrificia Christi imagini obtulisse, atq; eam intèr Gentilium simulacra collocasse, dicente S. Epiphanio hæresi 27. *Cùm quibus* (scilicèt Pythagora, Aristotele, & alijs) *etiàm alias Imagines JESU collocant, collocatasq; adorant, & gentium ministeria perficiunt;* Adeoq; tales Hæretici meritò à S. Irenæo erroris notati sunt.

Instabis: S. Hieronymus in cap: 3. Danielis ait: *Cultores DEI Imagines*

adorare

adorare non debent. Similitèr S. Ambrosius in Orat: de Obitu Theodósij dicit: *Helena crucem invenit, Regem adoravit, non Lignum utiq; qui est error Gentilium.* Ergò & hi Patres existimarunt adororare Imagines gentilissmi esse superstitionem.

℟. N. *Conseq:* Reverà siquidèm cultores veri Dei Imagines adorare non debent adoratione Latriæ, Soli DEO debitâ, neq; in illis ultimam spem locare, quod unicum, & non aliud indicavit S. Hieronymus, qui nunquàm Catholicis de Iconomachia suspectus fuit. Sanctum verò Ambrosium loqui, Viri Eruditi demonstrant de adoratione simili ei, quæ idolis à Gentilibus exhibebatur, illisq; Verbis significare, Helenam non adorasse Lignũ, aùt credendo in eo aliquam esse divinitatem, aùt suum in Lignum affectũ ultimatè collocando, sed Crucem deosculando, atq; coràm illa procumbendo, internum servitutis affectum ad Christum, qui in ea passus fuerat, direxisse.

Instabis: S. Augustinus Lib: de Moribus Ecclesiæ capit: 34. ait: *Novi multos esse Sepulchrorum, & picturarum adoratores.* Ergò his verbis corripit Catholicorum mores, qui hominum Sepulchra & picturas adorant.

℟. N. *Conseq:* & dico: S. Augustinum eo Loci de illis agere, qui non tumulos Martyrum, nec picturas Sanctorum colebant, benè verò qui ad quorumcunq; hominum sivè tumulos, sivè picturas, festa convivijs, alijsq; Lætitiæ demonstrationibus celebrare videbantur; Hos verò pro merito Sanctissimus Doctor arguit, cùm ille prophanorum hominum cultus Christianæ Religionis repugnet moribus. Cæterùm Sanctus Doctor Lib: 2. Conf: cap: 2. & Lib: 8. de Civit: DEI cap: ult: eorum laudat Zelum, qui ad Martyrum Sepulchra deferebant epulas ad vescendos pauperes, licèt factum illud totalitèr aliquibus de causis non probet.

Objicies 2do: S. Gregorius Magnus in suis Epistolis ad Serenum Episcopum Massiliensem docet: nullum planè cultum Imaginibus deberi. Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Cùm rescivisset S. Gregorius Serenum quasdam Ecclesiæ Imagines confregisse, ac de Ecclesia projecisse, Epist: 1. num: 110. dixit: *Equidèm Zelum vos, nè quid manufactum adorari possit, habuisse laudamus, sed frangere easdem Imagines non debuisse judicamus.* Sed his Verbis S. Gregorius cùm Sereno conveniebat Imagines nullatenùs adorari debere, dissentiebat verò solùm in eo, quod Serenus eas fractas de Templo projecerit. Ergò *&c.*

℟. N. *Ant:* Ad probationem admissâ *Majori*, D. *Min:* S. Gregorius cùm

Sereno

Sereno conveniebat Imagines adorari non debere cultu Latriæ. C. *Min:* Cultu, qui minor ſit Latriâ, N. *Min:* & *Conſeq:* De illo, non de iſto cultu quæſtio fuit in Epiſtolis S. Gregorij ad Serenum. Cæterùm S. Gregorium non denegaſſe Imaginibus Religioſum cultum Latriâ minorem ſit manifeſtum. *1mo:* Quia Imagines in Templis honorificè collocari præcepit Epiſtolâ 2. ad eundem Serenum dicens: *Et quia depingi hiſtorias non ſinè ratione vetuſtas admiſit, &c.* *2do:* Quia mandavit, ut ad Imaginum conſpectum fidelis populus detectum caput inclinet, genua flectat, in humum procumbat, & ad compunctionem excitetur, his verbis Serenū alloquens: *Sed hoc ſollicitè Fràternitas tua admoneat, ut ex viſione rei geſtæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione ſolius Omnipotentis Sanctæ Trinitatis humilitèr proſternantur.* Sed in illis exterioribus actibus poſitus eſt Religioſus cultus, qui per nos Imaginibus debetur. Igitur *&c.* Fit etiàm id ipſum *3tio* manifeſtum, quia idem S. Gregorius Lib: 7. Epiſt: 54. Laudat quemdam nomine Secundinum, quod Imaginem peroptaret Salvatoris, quod ad illius conſpectum procumberet, & quod eâ uteretur, ut myſteriorum Chriſti memoriam in ſe excitaret. *4to:* Quia idem S. Gregorius Lib: 7. Epiſt: 5. ad Januarium Calaritanum datâ præcipit ,ut Crucis, & Virginis Deiparæ Imagines, quas quidam Judæus in ſua collocaverat Synagoga, reciperentur dicens: *Sublatâ exindè cùm ea, quâ dignum eſt, veneratione, Imagine, atq; Cruce &c.* Sanctus itaq; Gregorius ſolùm Latriæ cultum Imaginibus deferri noluit, qui primo Decalogi mandato eſt prohibitus, atq; Serenum monitum eſſe voluit, ut primô Decalogi præceptô utatur, quô rudem populum ab Imaginum adoratione avertat, Epiſt: 2. ad eundem dicens: *Oſtendendum, quia omne manufactum adorare non licèt, quoniam ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

Objicies 3tio: Quatuor Libris Carolinis, qui aùt ſub Carolo Magno, aùt illius Juſſu conſcripti eſſe perhibentur, omnis Imaginum cultus damnatur, tanquàm Chriſtianæ Religioni contrarius, Ergò immeritò à Catholicis illis præſtatur. Pr. *Ant:* Author illorum Librorum contrà Patres alteri Nicæni Concilij ait: *Imaginum adorationem nec per Patriarchas, nec per Prophetas, nec per Apoſtolos, nec per Apoſtolicos Viros uſpiàm inſtitutam eſſe.* Deindè Nicænam Synodum imprudentiæ, & præſumtionis arguit, quod ijs anathema dixerit, qui Imagines adorare renuerint. Contendit tandèm: Soli DEO adorationem exhibere poſſe, idq; Scripturis demonſtrat. Et plu-

ra alia affert, contrâ ac Patres 7mæ Synodi ſtatuerint. Ergò &c.

℟. Miſsâ illorum Reſponſione, qui contendunt, Libros, de quibus agitur, non eſſe aùt à Carolo Magno, aùt ej9 juſſu editos, ſed eſſe cujuſdam hæretici opus, quod cùm in manus Imperatoris incidiſſet, ab eo miſſum fuit ad Adrianum Romanum Pontificem, quatenùs illud refelleret, miſsâ inquam tali reſponſione, cùm eam ſubſiſtere nullatenùs poſſe, Clariſſimus Gaſpar Iveninus peracutè demonſtraverit; Ad tale argumentum dicendum eſſe puto: Carolinos Libros non omnem Sacris Imaginibus venerationem abjudicare, ſed tantùm abſolutum Latriæ cultum, quem per errorem facti Author Librorum (quisquis tandèm ille fuerit) crediderat Nicænos Patres Sanctorum Imaginibus adſcripſiſſe. Hoc verò multimodis demonſtrare licèt. *1mo:* Quia illorum Librorum author eum ſolùm cultum Imaginibus denegat, qui primo Decalogi mandato inhibetur, quem Imaginibus à ſecundo Nicæno Concilio aſſertum fuiſſe crediderat, dùm Libro 1. cap: 2. inquit: *Non enim mediocris eſt error, cùm aliud adoratur Religionis cultu, quàm is, qui dixit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Jàm verò illa Decalogi verba non excludere Religioſum cultũ Latriâ minorem, vel ex eo pateſcit, quod Author illorum Librorum aſſerat: Religioſam venerationem Cruci, Sanctis, Reliquijs, codici Evangeliorum, vaſisq; ſacris omninò deberi, ſolùmquè ſub raſcatur, quod Nicæna Synodus Imagines cùm Cruce, Sanctis, Reliquijs, Codice Evangeliorum, vaſisq; Sacris, in quibus tremenda myſteria celebrantur, comparare viſa ipſi ſit. *2do.* Quia eam tantùm venerationem negat Imaginibus deferri poſſe, ut ex Lib: 1. cap: 18. habemus, quæ Fidei noſtræ objecto, beneficiorum Collatori debetur; Jàm verò cultus, qui noſtræ fidei objecto, bonorum collatori debetur, eſt abſolutus Latriæ cultus, illum ergò & non alium Author ille abjudicat Imaginibus. *3tio:* Quia illam tantùm adorationem ab Imaginibus Carolini Libri rejiciunt, quæ debetur rebus non tantùm repræſentativam ſeù extrinſecam, ſed veram & internam habentibus Sanctitatem; Jàm verò adorationis ſpecies, quæ rebus debetur intrinſecam Sanctitatem habentibus, eſt ſolùm ſpecies cultûs abſoluti, Latriâ minoris licèt, Ergò cùm Nicæni Patres relativum tantùm cultum, ut infrà videbimus, Imaginibus decreverint, talem cultum Carolini Libri non rejiciunt. *4to: Tandèm:* Quia eum dumtaxàt cultum impugnat præcitatus Author, quem contendebat Vigilantius impendi à Catholicis Sanctorum

ctorum Reliquijs,ut legere est cap: 27. ejusdem Libri 1. Jàm verò cultus, quem Sanctorū Reliquijs exhiberi à Catholicis supponebat Vigilantius, erat absolutus Latriæ cultus, ut significat S. Hieronymus contrà Vigilantium disputans. Ergò Carolinorū Librorum Author solùm absolutum Latriæ cultum Imaginibus abjudioavit.

Instabis: Sed Carolinorum Librorum Author omnem penitùs cultum Imaginibus abjudicavit, Ergò nulla est, laboriosa licèt nimis Responsio.

Pr.Sub: Lib: 2. cap: 21. hæc ille dicit: *Imagines veró omni suâ culturâ & adoratione seclusâ in Templis collocentur.* Sed hâc loquendi formulâ omnem cultum Imaginibus adimit, Ergò *&c.*

℞. Admissâ *Majori*, D. *Min:* Omnem adimit Latriæ cultum, C. *Min:* Inferiorem Latriâ, N. *Min:* & *Conseq:* Itaq; illa Verba: *Omni suâ Culturâ* intelligi debere de absoluta Latriæ cultura, demonstro. *1mo:* Quia Carolinorum Librorū Author toto præsertim illo 21.cap: *Cultûs* nomen sumsit pro adoratione Soli DEO debitâ, cum eodem loco dicat: *Solum namque Deum colere, ipsum adorare, ipsum glorificare, totius Divinæ Scripturæ tuba terribilis intonat.* Ostendo, *2do:* Quia eodem cap: *Cultum* opponit Venerationi, quam Sanctis cùm Christo regnantibus exhibendam esse fatetur; Jàm verò cultus oppositus venerationi Sanctorum, est solus absolutus Latriæ cultus, Ergò solùm Latriæ cultum Imaginibus abjudicat inquiens: *Cunctis etiàm Sanctis, qui triumphato diabolo, cùm eo [Christo] regnant, veneratio exhibenda est; Imagines veró omni suâ culturâ, & adoratione seclusâ, &c.*

Instabis: Eodem Lib: & cap: Author ille ait: *Undè cavendum illis est, & modis omnibus pertimescendum, nè dùm Imaginū cultum, & adorationem Christianæ Religioni ingerere nituntur, singularem unius Dei cultum, & adorationem frustrari videantur.* Sed illis verbis unam cultûs speciem, Latriæ videlicèt, admittendam esse censet, Ergò præter eam, omnem aliam excludit.

℞. Concessâ *Majori*, D. *Min:* Unam tantùm cultûs speciem, adorationem nimirùm Latriæ, admittendam esse censet, errore facti, C. *Min:* Errore Juris, N. *Min:* & *Conseq:* Author ergò ille hac de causa contendit unam tantùm cultûs speciem admitti debere, quia putavit *Cultûs* nomen non aliud significare, quàm absolutam adorationem Latriæ, non verò quod excluserit quamlibet aliam religiosam venerationem, hoc est à Religionis virtute imperatam; Cùm Author ille multis in locis fateatur, Sanctis, Reliquijs, vasis Sacris, & Evangeliorum Codici venerationem

 deberi,

deberi, ut patet Lib: 2. cap: 21. de Sanctorum veneratione, Lib: 3. cap: 24. de honore Reliquijs deferendo, & Lib: 2. cap: 29. de honore, qui Sacris vasis exhibendus est, proindèq; dùm asserit, unam esse cultûs speciem, absolutam videlicèt Latriæ adorationem, non excludit alias Religiosi honoris species Latriâ minores, quamvis nomine cultûs eas appellare renuat.

Instabis: Lib: 3. cap: 16. Idem Author dicit: *Dicant igitur, quibus tàm peculiare est dicere: quia Imaginis honor in primam formam transit, dicant, si hoc legerint, aùt quibus valeant testimonijs approbare.* Ergò ille convellit non absolutum duntaxàt cultum, sed etiàm relativum.

℞. D. *Conseq:* Etiàm relativum convellit cultum, alio sensu intellectum, ac intellexerint Nicæni Patres. C. *Consequ:* In sensu Nicænorum Patrum intellectum. N. *Conseq:* Per cultum relativum Nicæni Patres intellexerunt venerationem, quæ non Imaginum coloribus, aut materiei, ex qua constant, exhibeatur, sed quæ coràm Imaginibus ipsis earum prototypis deferatur; Econtrà verò Author Librorum, de quibus controvertimus, relativum Cultum intelligit de honore, qui sit veluti effectus illius honoris, quo prototypa coluntur, quiq; ipsis Imaginum delineamentis, ac materiæ deferatur, seù qui proptèr prototyporum honorem artificum operi exhibeatur. Ex illa ergò falsa suppositione rejicit ac sugillat relativum cultum Author Carolinorum librorum, & meritò quidèm, neq; enim aliquis Religiosus honor lineamentis, ac materiæ Imaginum, etiàm proptèr prototypa debetur. Id verò constat ex Lib: 3. cap: 16. ubi Author ille putavit Nicænos Patres statuisse: Imaginem pro majori aùt minori cùm prototypo similitudine, & pro majori vel minori venustate, majorem vel minorem promereri honorem; Constat etiàm ex eo, quod arbitratus sit, Nicænos Patres docuisse venerationem deberi ipsis parietibus & tabulis in se sumtis, cùm econtrà ipse glorietur se Sanctorum Reliquijs, & vestibus honorem deferre; Constat deniq; ex illis Verbis eodem cap: prolatis: *Quis eos credat Imaginum adoratione delectari, aùt picturarum obsequijs demulceri? aùt qualitèr per eos honor picturis exhibitus, quæ nec de illorū corpore, seù vestibus sunt, sed pro captu ingenij cujusq; ab artificibus præparantur?*

Instabis: Lib: 4. cap: 21. dicit præcitatus Author: Deiparam nonnunquàm depingi Asellô vectam, ac cùm puero Jesu fugientem in Ægyptum, & indè concludit: Non magis juxtà Nicæni 2di definitionem, adorari debere Deiparæ, quàm Aselli Imaginem, nèc minùs illicitè posse fideles osculari

osculari Imaginem Deiparæ, quàm Aselli. Ergò sicuti nèc Latriâ, nèc duliâ, nèc honor aliquis duliâ minor, sivè sit absolutus, sivè relativus, Aselli picturæ deferri debeat, ità nèc ullus omninò Imagini Deiparæ exhibendus est.

℟. D. *Ant:* Et hoc concludit ille Author ex falsa suppositione, C. *Ant:* Ex vera suppositione, N. *Ant:* & *Consequ:* Putaverat itaqué licèt falsò (ut iterùm dicam) Carolinorum librorum Author, Nicænam Synodum ipsis Imaginum Coloribus, atqué earum materiei in se realitèr sumptæ, honorem detulisse; adèoq; mirùm non est eum indè conclusisse: Asellum cùm Virgine depictum honorem promereri: Neq; enim minoris pretij erant colores, quibus Asellus depictus erat, nèc minoris momenti materia, ex qua tabula cònstabat, quàm colores, & materia, quæ Virginem Deiparam repræsentabat. Idq; ex talibus illius colligo verbis: *Nullô enim pacto in adorando utriusq; Imaginis, Virginis videlicèt, sivè animantis, quædam potest fieri diremptio, præsertim cùm unius sint materiæ, unóqué artificis ingeniô compaginatæ.*

Objicies 4to: Jonas Aurelianensis, signifer Gallorum Patrum, contrà 7mam Generalem Synodum tumultus excitantium Imaginibus omnem cultum abjudicavit, Ergò *&c.* *Pr. Ant:* Ille omnem cultum, Imaginibus abjudicavit, qui docuit: nullam Creaturam adorari debere, qui rejecit Græcos eò, quod Imaginibus cultum impenderent, qui negavit cultum etiàm relativum ipsis impendi posse, qui ob solam rerum præteritarum memoriam Imagines passus est, qui dixit: Nihil esse, quod faveat cultui Imaginum ad Romanæ Ecclesiæ sensum exposito. Atqui Jonas Aurelianensis Lib: 1. adversùs Clau dium Taurinensem, quem legere est Tom: 4. Ergò Bibliothecæ Patrū par: 1. pag: 541. & sequentib9. hæc omnia præstitit. *&c.*

℟. N. *Ant:* ad *probat.* D. *Maj:* Qui docuit, nullam Creaturam adorari debere adoratione Latriæ. C. *Maj:* Adoratione longè Latriâ minori. N. *Maj:* Quò ad *primam partem.* Qui rejecit Græcos, quod crederet eos Imaginibus Latriæ cultum deferre. C. *Maj:* Latriâ longè minorem. N. *Maj:* Quò ad *alteram partem.* Qui negavit cultum etiàm relativum Imaginibus pravo sensu expositum. C. *Maj:* Sano sensu intellectum, N. *Maj:* Quò ad *tertiam partem.* Qui passus est Imagines ob solam præteritarum rerum memoriam, tanquàm ob rationem proximam. C. *Maj:* Tanquàm ob rationem remotam, N. *Maj:* quò ad *4tam partem.* Qui dixit: Nihil esse, quod faveat cultui Imaginum implicitè, C. *Maj:* Quod nihil faveat explicitè,

citè, N. *Maj:* quò ad *ultimam:* In hoc distnctionis sensu concessâ *Minori*, N. *Conseq:* Itaq; Jonam Aurelianensem solam Latriæ adorationem, quam falsò putavit Græcos cùm Italis detulisse Imaginibus, respuere, fit manifestum ex eo, quod solam rejecerit adorationem, quæ Imaginibus Divinam servitutem impendit, quæqué egeno simulacro honorem soli Divinitati debitum tribuit, per quam non Imaginum prototypis, sed ipsis Imaginibus supplicatur. Clarum insupèr est eundem Jonam damnasse tantùm relativum cultum pravo sensu expositum, hoc est intellectum de Latria, quæ ad ipsas Imagines ex indiscreto prototyporum amore terminetur, non verò cultum Latriâ inferiorem, qui non ad ipsas Imagines terminetur, sed per quem ipsa prototypa coràm Imaginibus terminetur. Horum utrumq; ex eodem, qui objicitur Loco, eruitur. Certum quoq; est Jonam, cum scripsit, Sanctorum Imagines ad rerum præteritarum memoriam in Templis collocari, loquutum fuisse de fine proximo, proptèr quem collocantur,non autèm de fine remoto; Nàm ideò eas publicè locari voluit, ut per Imagines præteritarum rerum memoria excitetur, eaq; intuentes moveat ad honoranda prototypa: Siquidèm à S. Gregorio Magno non dissentit ad Serenum Massiliensem scribente, cùm imò expressè fateatur, se traditæ ab eo doctrinæ inhærere. Quòd verò idem S. Gregorius putaverit, licitum esse prototypa coràm Imaginibus honorare, & invocare, superiùs jàm commonstratum est.

Quod verò idem Aurelianensium Præsul licèt explicitè in objectis locis non faveat honorariæ Imaginum venerationi, scribat verò ea, quæ implicitè illam honorariam venerationem adstruunt, res tàm evidens est, quàm quod maximè. Nàm imprimis damnat Claudium Taurinensem, quòd ex primo Decalogi mandato non rectè conclusisset,ex Basilicis auferendas esse omnes Imagines, quasi verò una tantùm sit admittenda adorationis species dicens: *De diversitate itaq; cultûs habes unà nobiscum B. Augustinum. Deindè* Ad cultum Latriâ inferiorem reducit Venerationem, quæ Sanctorum Reliquijs debetur,honorem,qui exhibetur Evangeliorum Codici, adorationem, quæ Imagini Crucis Christi juxtà antiquum Ecclesiæ morem præstatur, ac proindè etiàm illam, quæ alijs Imaginibus defertur. Totum istud negotium ex verbis præcitati in objectione Libri eruimus, quæ per extensum proferre longum nimis esset, atqué scholasticam succintam pertractandi methodum disturbasset.

Objicies

Objicies 5to: Agobardus Lugdunensis Archi-Præsul Ludovico Pio imperante, Lib: *de Picturis & Imaginibus* omnem Religiosum Imaginum cultum videtur damnare, qui in Romana Ecclesia obtinuerat. Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Ille damnavit Religiosum Imaginum cultum, qui docuit: Imaginum efformationem primo Decalogi præcepto divinitùs prohibitam fuisse, qui asseruit: Soli Deo Religionis cultum exhiberi posse, qui scripsit: Imagines non ob Religionis honorem ab antiquis effictas fuisse, qui contendit: neminem ex antiquis Catholicis cultum eis detulisse, qui tandèm sensit: Omnes Imagines ad pulverem usqué conterendas esse. Sed Agobardus omnia hæc in præcitato Libro exaravit, ut legenti fit meridiano sole lucidiùs. Ergò *&c.*

℞. N. *Ant:* ad *probationem,* D. *Maj:* Ille damnavit Imaginum cultum, qui docuit earum efformationem divinitùs fuisse prohibitam præceptô, quod in novo vigeat Testamento, C. *Maj:* Præcepto Ceremoniali, quod in novo Testamento non vigeat, N. *Maj:* quò ad *hanc partem.* Qui asserit: Soli Deo cultum Latriæ exhibendum esse, C. *Maj:* Cultum, qui sit minor Latriâ, N. *Maj:* quò ad *istam partem.* Qui scripsit: Imagines non ad cultum Latriâ inferiorem ab antiquis effectas fuisse. C. *Maj:* Ad cultum Latriâ minorem, N. *Maj:* quò ad *3tiam partem.* Qui sensit Imagines conterendas esse absolutè, C. *Maj:* Hypotheticè tantùm, N. *Maj:* quò ad *ultimam partē.* In simili distinctionis sensu Concessâ *Minori,* N. *Conseq:* Porrò Agobardum non sensisse: Imaginum efformationem naturali, aùt positivô præcepto, quod nunc vigeat, vetitam fuisse, patescit *primo,* Quia probavit antiquos Catholicos, qui Imagines effinxerunt. *2do:* Quia probavit Ecclesiæ usum, quæ ubiq; suo tempore Imagines in Templis collocabat, juxtà S. Gregorij Magni ad Serenum Massiliensem Epistolas, quas in suo opere summis laudibus celebravit. Constat etiàm Agobardum damnasse cultum Imaginum ex suppositione, quatenùs putaverit à Græcis & Italis deffinitum fuisse absolutum Latriæ cultum. *1mo:* Quia Sacrilegos dixit Imaginum cultores, quod eis Divinum cultum exhibeant. *2do:* Dixit: Imagines coli non debere eo cultu, quo ipsimet Sancti coli nolunt. Dixit *3tio:* Imagines coli non debere cultu ei simili, qui per Sacrificium offertur, cùm nec ipsi Sancti, quos repræsentant, per Sacrificium coli possint. Evidens quoq; est: Eo tantùm sensu Agobardum dixisse: Imagines ad cultum positas non esse, quo censebat (falsò licèt) eas à Græcis & Italis

collocari:

collocari: Censebat verò ad cultum Latriæ, qui ad eas terminaretur locari in Templis Imagines à Græcis, & ab Italis; Nàm ipse jubet, ut inspectis Imaginibus, mens ad prototypa consurgat, eaq; veneretur dicens: *Pascatur hâc visione oculus, Deum verò veneretur animus, qui & Sanctis suis victoriæ coronam, & nobis intercessionis eorum tribuit adjutoria.* Non sensit tandèm Agobardus Sanctorum Imagines absolutè frangi, ac conteri debere, cùm laudet S. Gregorij Epistolas, quibus Serenus promeritò arguitur, quod eas contrà receptum ubiq; Ecclesiæ morem in Diœcesi Massiliensi fregisset, cumq; ipse habuisset eas in suæ Lugdunensis Diœceseos Basilicis. Tragendos ergò dixit hypotheticè solùm, si nempè superstitiosè ità colerentur, ut ea superstitio per Pastorū doctrinam aboleri non valeat.

Objicies 6to: Hingmarus Remensis Opusc: 55. cap: 20. scribit: Per Concilium genarale in Francia destructam fuisse secundi Nicæni Concilij de Imaginum adoratione deffinitionem. Ergò frustrà illa hactenùs à Catholicis propugnatur.

℟. D. *Ant:* Scribit Hingmarus destructam fuisse Nicæni Concilij deffinitionem quò ad dogma, quod Nicænum non stabilierat, C. *Ant:* Quò ad dogma, quod reverà illud Concilium stabilierat. N. *Ant:* Errârunt itaq; Præsules Galli, non quidem errore Juris, sed errore facti, qui sivè vivente Carolo Magno Francofurti, sivè Parisijs posteà imperante Ludovico Pio, septimam generalem Synodum rejecerunt, quia arbitrati sunt, septimam generalem Synodum decrevisse Imaginibus absolutam Latriæ adorationem, cùm tamèn illa Synodus decreverit Imaginibus præstandam esse adorationem aùt Latriâ longè minorem, aùt Latriæ quidèm, sed non quæ ad Christi Imagines, benè verò ad ipsummet Christum terminaretur; Hingmarus enim, cùm cæteris Gallis per has voces: *Imagines esse colendas, & adorandas* intellexit absolutam adorationem Latriæ, cùm illis temporibus *adorationis & Cultûs*, nomina apud Francos pro sola absoluta Latria sumerentur; Undè licèt Gallicani Præsules, qui sivè Francofurti, sivè Parisijs ad Synodum convenerunt, docerent: Sanctos, eorumqué Reliquias honorandas, ac venerandas esse, nusquàm tamèn ut eam venerationem, illumq; honorem exprimerent, usi sunt *Cultûs*, aùt *adorationis* nominibus. Hoc responsum esto ad testimonium Dungali Catholici Theologi, imperantibus Ludovico Pio, & Lothario in vivis agentis, dùm in suo opere adversùs Claudium Taurinensem Iconomachis favere videtur, nec

non

non ad authoritatem Walfridi Strabonis Augiæ Abbatis, atqué ad Decreta ex Francofordiensi & Parisiensi Concilijs depromta, quæ omnia errore facti laborarunt, dùm secundam Nicænam Synodum impugnare nituntur.

QUÆRES

AN CULTUS IMAGINIBUS DEBITUS SIT ABSOLUTUS, AN VERO RELATIVUS?

ADorationem sivè Cultum, aliam *absolutam* esse, *respectivam* sivè *relativam* aliam, ab initio hujus quæsiti supponimus. Adoratio *absoluta* convenit rei intellectuali, quæ per se honorabilis, atq; adorabilis sit: Sic Deus ac Christus cultu Latriæ *absoluto* est adorandus; Undè adoratio *absoluta* illa dicenda est, quâ quis colitur ob perfectionem sivè excellentiam sibi intrinsecam. Adoratio autèm *relativa* convenit etiàm rebus ratione carentibus, puta Sacris Imaginibus, quæ non proptèr se, sed proptèr alium, quem repræsentant, honorantur; Estq; illa, quâ quis adoratur, sivè colitur proptèr excellentiam alterius, quam in se repræsentat, aùt in ordine ad eam consideratur.

Status itaq; præsentis quæsiti in hoc positus est: An cultus, qui Imaginibus exhibetur, in ipsis Imaginibus sistat, an verò ad earum prototypa referatur, scilicèt dùm Imagines exosculamur, atqué coràm eis procumbimus, mentis nostræ affectus aliquâ ratione ad ipsas Imagines, an verò ad sola earum prototypa terminetur. His prænotatis, ad quæsitum:

Dico: Cultum Imaginibus exhibitum totum relativum esse, hoc est totum ad earum prototypa terminari.

Probatur: Concilium generale septimum, sivè 2dum Nicænum Sess: 7. in definitione fidei decernens Imaginibus honorem deberi, naturam quoq; talis honoris explicavit, eò quod Iconomachi illum Cultum Idololatriæ ac superstitionis insimulárent, dicens: *Imaginis enim honor ad primitivum transit: & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam.* Concilium paritèr Tridentinum Sess: 25. definivit *1mo:* Imagines non honorari, *quod credatur inesse aliqua in his Divinitas, vel Virtus, proptèr quam sunt colendæ.* Definivit *2do:* ideò eas honorari, *quoniam honos, qui eis exhibetur, ad prototypa refertur.* Definivit *3tio:* quod *per Imagines, quas osculamur, &*

coràm quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt. Quid quæso clariùs pro exponimento Catholicorum sententiæ afferri potest, maximè cùm illa Concilia ex Instituto hanc rem pertractaverint?

Dices 1mo: Nicænum alterum Concilium apertè distingvit honorem Imagini delatum ab eo, qui prototypo defertur inquiens: *Qui has contemplantur* (Imagines) *alacriùs eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam, non tamèn ad veram Latriam ---- quæ solam Divinam naturam decet, impertiendam.* Ergò mens Concilij est, *&c.*

℞. N. *Ant:* Quia honoraria illa adoratio non in alio posita est, quàm in exterioribus honoris signis, quæ Imagini deferuntur, non verò in mentali aliqua reverentia, quâ Imaginem seorsivè à prototypo prosequamur; Cùm idem Concilium in Epistola Synodica ad Imperatores pro uno eodemq; sumat adorationem, quæ Imaginibus defertur, & salutationem æternam, quæ illis impenditur dicens: *Et has adorandas, id est salutandas, id ipsum enim est utrumqué.*

Instabis: Imaginum salutatio est signum honoris interni; quo ipsas Imagines prosequimur; alioquin enim illa salutatio mendax foret, quod tamèn absurdum est, Ergò omninò absoluta est.

℞. N. *Ant:* Nàm externa salutatio est signum interni cultûs, quo mens non ipsas Imagines, sed earum prototypa veneratur; neq; enim hujusmodi salutatio hæret in ipsis Imaginibus, sed ad prototypa refertur; Sic cùm ore exosculamur Imagines, mens interno affectu amplectitur prototypa, quandò caput coràm Imaginibus se se inclinat, animus non ipsis Imaginibus, sed personis, quæ per eas repræsentantur, se se interiùs submittit, earumq; supernaturalem excellentiam reveretur.

Instabis: Si externa Imaginum salutatio non in ipsis Imaginibus hæreat, sed immediatè ad prototypa referatur, non erat, cùr Iconomachi, Carolinorum Librorum Author, Jonas Aurelinensis, Gallicani Præsules, tantoperè ab ea salutatione abhorruerint, tantoq; conatu illam in Nicænis Patribus superstitionis, & Idololatriæ coarguerint, Ergò *&c.*

℞. Iconomachos illam salutationem rejecisse eò, quod nullas omninò Imagines sivè in Templis, sivè in privatis domibus retinendas esse crederent. Eandem verò Salutationem Gallicanos Præsules in suis Conventibus

tibus superstitionis in Nicænis Patribus coarguisse eò, quod per errorem facti arbitrarentur, illam in mente Nicænorum Patrum fuisse Latriæ signum, quod in ipsis Imaginibus hæreret, seù quo mens significaret, se Latriæ cultum, uni Deo debitum, Imaginum materiei, aùt formæ deferre; In eam verò interpretationem maximè hac de causa abierant, quod externa illa Imaginum Salutatio apud ipsos nusquàm in usu fuisset.

Dices 2do: Concilium Tridentinum Sess: 25. asserit: *Imagines in Templis habendas esse & retinendas, eisqué debitum honorem & venerationem impertiendam.* Sed honor debitus alicui rei ad ipsam terminari debet. Ergò Cultus à Catholicis Imaginibus exhibitus absolutus est.

℞. C. *Maj:* D. *Min:* Honor alicui rei debitus, ad ipsam rem terminari debet, si res sit absoluta. C. *Min:* Si res tantùm sit alterius signum, N. *Min:* & *Conseq:* Porrò Imagines merò signa sunt, ac proindè quod coràm illis fit, ad eas minimè terminatur. Cæterùm Tridentinum Concilium nostram firmare conclusionem, ex verbis illius in probatione relatis meridiano sole fit clariùs. Pro majori præsentis Controversiæ elucidatione aliqua subjicienda Corollarij loco supersunt, quæ à Catholicis certò, indubitanterq; tenentur. *1mum:* Deo, totiq; Sanctissimæ Triadi, ac cuilibet Divinæ personæ Latriæ cultum deberi, idq; proptèr supræmam in omnes Creaturas excellentiam. *2dum:* Christum Dominum etiàm adorandum esse adoratione Latriæ Catholicorum fides est. *3tium:* Eâdem adorationis specie colendum esse Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Christi fidelibus Tridentinum proposuit Concilium Sess: 13. cap: 5. & 6. *4tum:* Sanctos cùm Christo in Cœlis regnantes adorandos seu colendos esse cultu Duliæ absoluto proptèr excellentiam Sanctitatis & gloriæ: Beatissimam verò Virginem Mariam Cultu Hyperduliæ esse adorandam, tum ob perfectissimam, atq; excellentissimam ejus præ cunctis puris Creaturis Sanctitatem, & gloriam, tùm ob singularissimam Maternitatis DEI præstantissimamq; dignitatem, quâ verè nominatur, & est Mater DEI & Christi, Catholici tenent omnes. *5tum:* Sacras Reliquias, & Imagines Sanctorum venerari cultu Duliæ respectivo, Imagines autèm Beatissimæ Virginis MARIÆ Cultu Hyperduliæ itidem respectivo, ac tandèm Imagines DEI & Christi, itèm & Sacram Christi Crucem cultu Latriæ respectivo rursùm omnes Catholici profitentur. *6tum:* Tandèm: Imaginibus defunctorum, qui cùm bona Sanctitatis fama è vita decesserant, non

 posse

posse apponi aureolas, sivè radios, nequé ipsas in Oratorijs, aùt publicis Locis Cultûs & venerationis gratiâ exponi debere, donec à Sede Apostolica Beati declarentur, in confesso est omnium Sanctissimæ Romanæ cõmunionis Doctorum. Ad hanc Sanam & Sanctam Catholicorum doctrinam si perversissimi ævi nostri hetherodoxi surdas aperirent aures, non ità audactèr contrà Orthodoxos blaterarent Viros, nec eos superstitionis & idololatriæ accusarent, dùm illos Sanctis honorem adhibere conspiciunt.

QUÆSTIO QUARTA

UTRUM RELIQUIÆ SANCTORUM POST MORTEM VENERARI DEBEANT?

LUtherus & Calvinus Sanctorum Reliquijs nimis infensi, eas honorare ac venerari, penitùs (perperam licèt) prohibuerunt; imitantes hoc in errore comprimis Samaritanos & Judæos, qui mortuorum corpora pro immundis habentes, non solùm eorum Reliquias, verùm etiàm vestes, & vasa in eorum domibus reperta detestati sunt.

Pedissequi quoq; hac in parte ijdem perversi homines sunt antiquorum Hæreticorum, Cajanorum nempè, sivè Gnosticorum, Eunomij, Vigilantij, Constantini Copronymi Imperatoris, ac Wiklefistarum, à quibus pestiferam contrà Sacras Reliquias doctrinam sibi in hæreditatem appropriarunt. Contrà hos itaqué:

Dico: Sanctorum Corpora & Reliquias pòst mortem venerandas esse.

Probatur 1mo: Ipse Deus Optimus Maximus visus est honorem detulisse demortuo corpori Moysis, dùm illud Angelicis manibus sepeliendum curavit, ut patescit Deuteron: cap: ultimo. Ossa quoq; Elisæi Prophetæ honorem à Deo consequuta sunt, dùm maximo cum miraculo ad eorum contactum à mortuis resuscitatum legimus hominem Lib: 4. Reg: cap. 13. Mulier quædam, quæ sangvinis fluxum patiebatur, dùm extremitatem vestis Christi Domini devotè, & debita cùm veneratione tetigit, illicò à morbo sanata est Math: c. 9. Ergò venerandæ sunt Sanctorum Reliquiæ. Hinc est, quod S. Hieronymus Epist: ad Riparium contrà Vigilantiũ ait: *Si non sunt honorandæ Reliquiæ Martyrum, quomodò legimus: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa eorum pollunt contingentes,*

quomodo

quomodo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam corpori, quod juxtà Vigilantium jacebat immundum? Ergó omnia caſtra Iſràëlitici exercitûs, & populi DEI fuêre immunda, quia Joſeph, & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos Cineres pertulerunt? Joſeph quoq; qui in typo præceſſit Domini Salvatoris, ſceleratus fuit, quia tantâ ambitione Jacob in Hebron oſſa portavit, ut immundum Patrem, Avo, & Atavo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet. Ergò Iſtiuſmodi exempla meridianâ Luce clariùs demonſtrant, Sanctorum corpora ſingulari honore fuiſſe affecta.

Confirmatur: Strophia, & cinguli S. Pauli ad infirmos & ænergumenos deportata, eos priſtinæ ſanitati reſtituebant, ut legitur Act: cap. 19. Cur ergò, rogo Vos, hinc occaſionem ſumere non poſſumus credendi, Deum velle, ut mortuorum Sanctorum Corpora, & Reliquias honoremus?

Quarè S. Chryſoſtomus Orat: 31. de Virtutibus dicit: *Qualis virtus erat in umbra Petri, & in veſte Pauli ad ſanandum infirmos, talis in cineribus Sanctorum ad expellendum dæmones.*

Probatur 2do: Deus maxima conſvevit patrare miracula ad Sepulchra Corpora, & Reliquias Chriſti, & Sanctorum ejus, ut teſtantur S. Auguſtinus Lib: 22. de Civit: Dei, cap: 8. S. Hieronymus Lib: contrà Vigilantium, S. Ambroſius Serm: 91. de Sanctis Gervaſio & Prothaſio, & alij plures. Ergò hoc ipſo vult Deus, ut Corpora & Reliquiæ Sanctorum venerationi ſint apud fideles, dùm per ea patrando crebra miracula, honorem hac in re ipſis præſtat.

Confirmatur: Chriſtiani, qui in primitiva Eccleſia floruerunt, Religioſiſſimi Cultores fuêre Sacrarū Reliquiarū, & Corporum Sanctorū, Ergò *&c.* *Prob: Ant:* Eccleſia Smyrnenſis Epiſtolâ, quam ſcripſit de Martyrio S. Polycarpi, quod accidit anno Chriſti 142. ait: *Atq; ità nos demùm oſſa illius gemmis pretioſiſſimis cariora, & quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condidimus.* Idem ipſe S. Polycarpus dùm adhùc in vivis agebat, apud Euſebium Lib: 7. Hiſtor: cap: 19. de Cathedra, in qua S. Jacobus Hieroſolymis ſedit, dixerat: *Ad noſtra uſq; tempora conſervatam Fratres illius Eccleſiæ jàm indè à majoribus, magnâ proſequuntur reverentiâ: Satis perſpicuè declarantes, qualitèr tùm antiquiores, tùm noſtri temporis Chriſtiani Viros Sanctos ob ipſorum ergà Deum amorem, debito ſempèr honore venerati ſunt, & hactenùs venerantur.* Quid ad hæc perditiſſimi Proteſtantes, qui

nos

nos capiunt, ac dicterijs proscindunt, quod Cathedram S. Petri Romæ veneremur? Longè pluribus momentis hanc veritatem probat Eminentissimus Cardinalis Gotti Tom: 16. Quæst: 7. Nos verò eandem argumentorum solutione ulteriùs firmare intendimus.

Objicies 1mo: Illud non est faciendum, quod potest esse occasio erroris, sed adorare mortuorum Corpora ac Reliquias potest esse erroris occasio. Ergò Reliquiæ, & Sanctorum pòst mortem corpora veneranda non sunt. *Probat: Min:* Adoratio Reliquiarum, & Corporum mortuorum videtur pertinere ad errorem Gentilium, mortuis hominibus honorificentiam impendentium. Ergò *&c.*

℞. C. *Maj:* N. *Min:* ad probat: D. *Ant:* Si Reliquiæ & Sanctorum pòst mortem corpora adorarentur cultu Latriæ, C. *Ant:* secùs, N. *Ant:* & dico cùm S. Hieronymo in Epist: ad Riparium contrà Vigilantium: Nos non dico Martyrum Reliquias, sed nèc solem, nèc Angelos adoramus, scilicèt adoratione Latriæ; honoramus autèm Reliquias Martyrum, ut eum cujus sunt Martyres, adoremus, honoramus Servos, ut honor Servorum redundet ad Dominum eorum. *Sic ergó* (verba sunt S. Doctoris) *honorando Reliquias Sanctorum non incidimus in errorem Gentilium, qui cultum Latriæ mortuis hominibus exhibebant.*

Instabis: Sed cultus & veneratio Reliquiarum mater est superstitionis, & Soror idololatriæ. Nulla ergò solutio. *Prob: Assumtum.* Reliquiæ solent à Catholicis deosculari, & venerari eâdem veneratione, quâ Ipse Christus, Ergò *&c.* *Prob: Ant:* Reliquiæ à Catholicis ponuntur supèr altare, & in signum adorationis coràm eis, vel Martyrum Sepulchris faces accenduntur, & luminaria. Sed hâc cultûs solemnitate colitur Ipse Christus, nèc majori coli potest, Igitur *&c.*

℞. N. *Assum:* ad probat: N. *Ant:* ad aliam probat: C. *Maj:* N. *Min:* & *dico:* Nos Reliquias Martyrum, & aliorum Sanctorum ponere supèr altare, & coràm eis faces accendere; non tanquàm Sacrificium sivè Laudis, sivè Eucharisticum eis offerentes; hoc enim soli Deo offerimus, sed in signum lætitiæ, & in memoriam gloriosi eorum certaminis, gratias Deo agentes, qui proptèr hocce certamen eos gloriâ coronavit; Ignis enim etiàm prophanis in rebus tùm in lætitiæ, tùm in gloriæ signum accendi solet, ut patet de Imperatoribus ac Imperatricibus Romanis, quibus teste Herodiano Lib: 1. sempèr ignis præferebatur. Jàm verò Sancti, quorum

accensis cereis veneramur Reliquias, reverà æternâ gloriâ modò perfruuntur, & regnant cùm Christo, ideoqué ad eorum sepulchra faces & luminaria accenduntur.

Instabis: Concilium Eliberitanum Can: 34. asserit: Cereis ac Luminaribus Sanctorum Spiritus inquietari. Et S. Augustinus Lib: de moribus Ecclesiæ reprehendit Sepulchrorum adoratores. Ergò Sepulchra Sanctorum facibus & luminaribus adorari nullatenùs debent.

℞. N. *Consequ:* & quò ad *1mum* attinet dico: Eliberitanum Concilium solùm prohibuisse, nè in die ad Sanctorum Sepulchra in Cæmeterijs accenderentur luminaria; Idq; hac de causa: Quia cùm in die plura luminaria accenderentur, multiqué nimis essent, qui ea accenderant, accendendo impedimento erant & maximo incommodo populo ad orationes congregato, eò quod accendentes quemdam insolitum facerent tumultum, ac propterea nominatum Concilium hanc de medio sustulit consvetudinem, nè hæc impedimento esset animabus Sanctis ad orandum congregatis. Ad *2dum* repono: S. Augustinum Sepulchrorum adoratores eos hoc loci vocare, ac reprehendere, qui, ut ipse putabat, Sacrificium panis, & vini, aliarumqué epularum manibus defunctorum offerebant, eisqué se ipsos ingurgitabant, Religioni hoc deputantes, ut patet legenti textum S. Doctoris. Verùm quid hæc ad nos? Non enim volumus quorumcunq; permiscuè Sepulchra veneranda esse, sed sola Sepulchra Martyrum, & aliorum Sanctorum, idq; non in commessationibus & ebrietatibus, sed in pietate ac devotione, venerando in eis DEUM Martyrum, aliorumqué Sanctorum, eumq; suplicitèr orando, ut nos eorum gloriæ consociare dignetur.

Objicies 2do: Math: cap: 23. dicitur: *Væ vobis scribæ & Pharisæi hipocritæ, qui ædificatis Sepulchra Prophetarum, & ornatis monumenta justorum.* Ergò cultus Sepulchrorum utcunq; Sanctorum hominum displicet Deo.

℞. N. *Consequ:* & dico cùm S. Chrysostomo homil: 74. in Math: *Væ dicit, non quia ædificant, nèc quia Patres suos accusant, sed quia sic facientes, quandò dictis suis se Patres suos accusare simulant, pejora perpetrant --- Hic autèm mentem eorum damnat, quâ ædificabant, quia non in occisorum honorem, sed quasi cædes cùm pompa efferentes, & timentes, nè temporum injuriâ dirutis Sepulchris, tanti ausûs memoria, & monumentum interiret; sic Sepulchra construebant, splendida ædificia, quasi trophæum erigentes, ac de illorum facinoribus*

cinoribus gloriantes. Christiani autèm erigunt Martyribus monumenta, non dè scelere Tyrannorum gloriantes, sed de Martyrum gloria, qui tormenta vicerunt, trophæum agentes.

Deindè Christus Dominus eo loci non arguit Idololatriæ Scribas & Pharisæos, quod Sanctorum Prophetarum ornarent Sepulchra, sed reos hipocrisis esse dicit, quod nempè illi talia præstando sivè efficiendo, se pios esse populorum oculis ostentabant, cùm tamèn impiètate plenissimi essent.

Objicies 3tio: DEUS non vult ut Sanctorum Sepulchris ac Reliquijs cultus & veneratio exhibeatur. Ergò *&c. Prob: Ant:* Deuter: cap: ult: legimus: Deum abscondisse Sepulchrum Moysis. Sed hoc non alia de causa Divina fecit potentia, nisi quia noluit Deus, ut illud colerent ac venerarentur Judæi. Ergò *&c.*

℞. N. *Ant:* ad probat: C. *Maj:* N. *Min:* & dico: Moysis sepulchrum ocultatum à Deo fuisse, nê Judæi videntes se per eum ab Ægypto fuisse tot prodigijs liberatos, & in terram promissionis perductos, crederent se id totum Moysi & non DEO debere, nevè occasionem sumerent, illum pòst mortem veluti Deum adorandi; Quod periculum in Judaico populo ad idola gentium propènsissimo esse omninò poterat. Huic verò simile periculum de Reliquijs Sanctorũ apud Catholicos nullatenùs esse potest; Hi enim discernere norunt intèr cultùm, & adorationem soli Deo debitam, & venerationem, quæ exhibetur Sanctorum Reliquijs. Hinc quia idem Judaicus populus pòst Babilonicam captivitatem non ampliùs idola coluit, videmus Deum illustrasse sepulchra Isaiæ, Ezechielis, Hieremiæ, Elisæi, Abdiæ, & aliorum multis miraculis, & gratum habuisse cultum, qui eorum ossibus exhibebatur.

Objicies 4to: D. Paulus 2dâ ad Corinth: capit: 5. ait: *Etsi cognovimus secundùm Carnem Christum, sed nùnc jàm non novimus.* Atqui his verbis docet Apostolus, quidquid in Christo carnale fuit, oblivioni esse tradendum, ut in eo secundùm Spiritum possidendo totum studium habeamus. Ergò si Christi Corporis Reliquias debemus oblivioni mandare, multò Magis Martyrum, aliorumqué Sanctorum.

℞. Admissâ *Maj:* N. *Min:* & dico: Non velle Divum Paulum (ut perperàm opinatur Calvinus) Christi, carnem oblivioni esse tradendam, & quicquid per Carnem gessit, solumq; de Spiritu, ac ejus Divinitate esse à nobis cogitandum, ut omnis de humanitate ipsius morte, & passione memoria

moria aboleatur; cùm nihil in D. Paulo frequentiùs, quàm Christi passio, mors, & crux occurrat. Sed mentem Divi Pauli eam esse, quam 7ma Synodus simili Iconomachorum Act: 6. respondens objectioni, exposuit, nimirum: Per carnem intelligi mortalitatem & passibilitatem, ità ut sensus sit: Si cognovimus aliquandò Christum mortalem, & passibilem, nùnc non novimus, nisi immortalem, & impassibilem. Ità etiàm hunc textum exponunt Sancti Ecclesiæ Patres, quos intèr D. Chrysostomus Homil: 11. in 2dam ad Corinth:

Instabis: Idem Apostolus ad Colossen: cap: 2. videtur rejicere omnem arbitrarium cultum, qui non sit secundùm Christum. Sed talis est cultus Reliquiarum, Angelorum, & similium. Ergò restat difficultas.

℞. D. *Maj:* Omnem omninò cultum, N. *Maj:* Cultum superstitiosum ex falsa natum Religione, C. *Maj:* Porrò Sacrarum Reliquiarum cultus superstitiosus non est, nec voluntarius, & ab hominibus excogitatus, sed à DEO inspiratus, & in Sacris Scripturis approbatus, ut patet de Christi Domini glorioso Sepulchro, ejusq; vestis fibria, de umbra D. Petri, sudario, & semicinctorio S.Pauli, quorũ venerationem miraculis Deus comprobavit.

Objicies 5to: In tumulis, qui dicuntur Sanctorum, nèc animæ, imò nèc Corpora Sanctorum sunt, sed soli cineres. Ergò immerito venerantur. *Deindè* Nonnisi imprudentèr talis res veneratur, quæ nèc sentit, nèc intelligit. Sed hujusmodi sunt Reliquiæ Sanctorum. Ergò *&c.*

℞. Ad *1mum:* C. *Ant:* N. *Conseq:* Nàm licèt imprimis in Christi Domini Sepulchro, nèc Corpus ejus sit, nèc anima, tamèn illud veneratione dignum est, hâc ratione: quia Christi Corpus inibi triduo jacuit, ità in tumulis Martyrum memoriam eorum martyrij honoramus. *Deindè* In Sepulchris Martyrum reperitur altera ipsorum substantiæ pars, illa nempè ipsa materia, quam Spiritus Sanctorum animarunt, quam propterea venerari nullum inconveniens est. Ad *2dum:* D. *Maj:* Res, quæ nèc sentit, nèc intelligit nonnisi imprudentèr veneratur proptèr se ipsam. C. *Maj:* Proptèr aliam rationem. N. *Maj:* Et dico: Non veneramur Corpora, & Reliquias Sanctorum mortuorum proptèr se ipsa, quæ nèc sentiunt, nèc intelligunt, sed proptèr intelligentes & Sanctas eorum animas, cùm quibus erant conjuncta, dùm in hoc mundo agerent, & cùm quibus rursùm unientur pòst generalem omnium resurrectionem. Ad hæc: Veneramur Corpora, & Reliquias Sanctorum proptèr Ipsum Deum, cui illi in vivis agendo fidelitèr servierunt.

Instabis: Si hâc ratione Corpora & Reliquias Sanctorum venerari oportet, quia hæc olim animæ Sanctæ conjungebantur; Similitèr si hâc ratione Crux Christi esset veneranda, quia Corpus illius tetigerat, jàm eâ ipsâ ratione Asina, cui Christus insidens Jerosolymam intravit, adorari deberet. Sed hoc postremum absurdum est, Ergò & primum.

℞. N. Sequelam *Maj:* Ideò enim Corpora Sanctorum unita olim cùm animabus Sanctis, vestes similitèr tactas à Sanctorum Corporibus, & Christi Crucem,in qua ejus Corpus pependit,venerari oportet,quia exindè nullum sequitur inconveniens; Jàm verò venerari & adorare Asinam inconveniens maximum esset. *Deindè.* Ideò pari ratione Asina illa, & Crux Christi adorari non debent, quia Crux maximo honori & excellentiæ Christo fuit, in qua devicit inferorum potestates, non sic verò Asina. Quâ ratione etiàm carnificum manus Christi corpus verberantium adorari non debent. Neq; dicas: Christum Asinæ insidentem, cum maximo honore à pueris Hebræorum salutatum fuisse. Enim verò id non motivo Asinæ factum est, sed longè aliâ ratione.

Dices: Ipsa Crux extitit Christo summo dolori, summæq; ignominiæ, veluti ignominiosissimum patibulum. Ergò adorari nullatenùs debet.

℞. N. *Conseq:* Licèt enim tempore mortis Christi Crux ignominiæ esset signum, eadem tamèn posteà summo honori Christo Domino fuit, summoqué nobis emolumento, ideoq; hoc titulo à nobis adorari debet.

Objicies 6to: Maxima Reliquiarum pars suppositítia est. Ergò de omnibus dubitandum est, adeoq; *&c.*

℞. D. *Ant:* Quæ publicè in Ecclesijs venerantur. N. *Ant:* Secùs omitto *Ant:* Falsum itaqué est Reliquias, quæ publicè in Ecclesijs exponuntur, suppositítias esse; Sempèr enim Ecclesia sollicitè curavit, nè hac in re aliquæ fierent fraudes, & præcipuè pòst 4ti Lateranensis Concilij Decretum c. 63. latum, quo seriò cavetur, nè de novo inventas Reliquias quisquàm publicè venerari præsumat, nisi priùs authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ; Et pòst Decretum Tridentini Concilij Sess: 15. quo similitèr vetatur, nè Reliquiæ publicè exponantur, nisi recognoscente & approbante Episcopo,etsi dubium facto examine non tollatur, præcipitur Apostolicam sedem consulendam esse.

Instabis: S. Augustinus Lib: de Opere Monachorum cap: 28. cùm dixisset: Quosdam sub Monachorum habitu Reliquias Martyrum circumferre,

ferre, & venditare, addit: *Si tamèn Martyrum.* Ergò si jàm tunc temporis imposturæ cæperint, quid modo fieri credendum est?

℞. C. *Ant:* N. *Conseq:* & dico: S. Augustinum meritò dubitasse, an illæ Reliquiæ verè essent Martyris, cùm illas privati homines, sub Monachorum habitu fortè ementito, & quæstûs gratiâ circumferrent. Nos verò non de his agimus Reliquijs, quæ hâc etiàm ætate à vagis & peregrinis circumferuntur, ac venditantur hominibus, sed de illis, quæ publicè in Templis conservantur publicâ authoritate recognitæ.

Objicies ultimo: Eadem corpora ejusdem uniusq; Sancti, sivè eadem ejusdem Corporis membra diversis in locis à Catholicis venerantur, Ergò cum idem Sanctus duo corpora non habuerit, alterum horum supposititium & falsum esse dicendum erit.

℞. N. *Ant:* Falsum siquidèm est, plura corpora, vel capita, vel cætera membra ejusdem Sancti in diversis Locis nos venerari, si id de toto Corpore, aùt capite, aliovè membro intelligatur, sed nonnisi verùm erit, si dè corporis parte, aùt capitis, alteriusvè membri sumatur; Cùm enim populorum pietas ergà Martyres, aliosq; Sanctos exardesceret, & cùm singuli exoptarent fideles obtinere spolia eorundem, ut devotioni singulorum fieret satis, necessè fuit Corpora Sanctorum, vel corporum partes dividere, ac inter eos distribuere. Ex quo posteà in vulgi imperitia natum est, corpus, vel caput ejusdem Martyris hic, & alibi asservari, cùm tamèn hoc alitèr intelligi non debeat, nisi sumptâ parte pro toto. Hinc S. Basilius Oratione de 40. Martyribus ait: *Non uno in loco se se clauserunt, sed multis in locis hospitio recepti, multorum Patrias ornaverunt.* Et tamèn illi quadraginta Martyres toti non erant in Varijs Urbibus, sed quælibet Civitas partem solùm eorum habebat. Undè etiàm Theodorethus Lib: 8. de Martyribus testatur: Martyrum Corpora rarò inveniri integra in uno aliquo monumento, sed esse divisa & distributa in varijs Locis, singulis tutelam Martyris expetentibus.

Deindè: Contingere potuit, ut ex nominis æquivocatione alicujus Sancti Corpus credatur esse in pluribus Locis, quia nempè esse potuit Corpus, vel pars Corporis alterius Sancti eodem nomine nuncupati; Constat siquidèm ex Martyrologijs Græcorum, & ex Latinorum Martyrologijs, plures Martyres, & Sanctos sub eodem legi nomine.

Quodsi tandèm Adversarij ex aliquibus historiolis aliqua hujusce rei producant exempla. Sciant hujusmodi historiolas falsas esse, & Catholicam Ecclesiam continuò invigilare advertant, ut exploratâ rei veritate, quod certum est prædicetur, quod verò falsum, taceatur.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE SYMBOLIS CATHOLICÆ FIDEI.

SYmboli nomen origine Græcum est, duo obtinens significata. 1mo: Enim significat collationem plurium simùl, adeoqué componitur ex Græco *Syn*, quod idem est, ac *simùl*, & *balto*, id est *mitto, jacio*. *2do:* Signum vel tesseram denotat, quæ datur militibus, ut se se invicem cognoscant, & ab hostibus discernant. Utrâq; hâc ratione Symboli nomen usurpatur ab Ecclesia, ad significandam brevem summulam, sivè fidei regulam ex varijs credendarũ rerum articulis collectam, cujus publicâ professione veluti signo sivè tesserâ fideles ab infidelibus distingvuntur.

Tria communitèr à Theologis enumerantur Symbola (seù veriùs tres ejusdem fidei explicationes) *1mum:* Est Symbolum Apostolorum, quod ab Apostolis compositum est priusquàm in varias Provincias dividerentur, ut per illud Christiani à non Christianis dignosci possint, & ut per eandem eorundemq; credendorum professionem veluti in unum colligarentur. *2dum:* Nicænum dicitur, quod majori ex parte ordinatum fuit in Concilio Nicæno 1mo, ut fideles magis explicitè profiterentur aliquos fidei articulos ab Hæreticis impugnatos, & præsertim Verbi Divinitatem, quam Arius negare ausus est. *3tium:* Constantinopolitanum, in quo Nicæno Symbolo contrà Macedonium, aliosq; Divinitatem Spiritûs Sancti impugnantes, pòst illa Verba: *Et in Spiritum Sanctum* additur: *Dominum, & vivificantem, qui cùm Patre, Filioqué simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas --- De Spiritu Sancto ex MARIA Virgine,*

--- Cujus

--- *Cujus Regni non erit finis.* *4tum:* Quoq; his nonnulli Theologorum addunt, quod Athanasij dicitur, qui licèt authoritatem condendi Symbolum non haberet, quia tamèn illa formula, quâ suam fidem professus est, clarè nitidèq; praecipuos fidei articulos declarabat, haec non solùm placuit, & à Summis Pontificibus probata fuit, sed insupèr ab universa Ecclesia acceptata, atqué ideò Symboli nomen obtinuit. De his omnibus Symbolis nonnullas in hac Dissertatione proponemus quaestiones.

Quarè sit:

QUÆSTIO PRIMA

UTRUM SYMBOLUM QUOD APOSTOLICUM APPELLATUR, REVERA FUERIT AB APOSTOLIS CONDITUM, ET ECCLESIÆ CONSIGNATUM?

SYmbolum, quod communi voce omnium *Apostolicum* dici solet, non fuisse ab Apostolis conditum arbitrati sunt Laurentius Valla, Erasmus, Brentius, & Calvinus; quae Sententia ab alijs quoq; eruditis caeteroquin Viris suum patrocinium susceperant, videlicèt: à Gerardo Vossio Diss: 1. de tribus Symbolis, Dupinio in nova Biblioth: Tom: 1. pag: 14. & Authore Anglo Historiae Symboli Apostolici cap: 1. num: 20. & 21. Innumeri praetèr hos scriptores, ac ferè omnes Catholici istud Symbolum Apostolis tribuunt, cum quibus:

Dico: Reverâ ipsos Apostolos illud Symbolum condidisse, quod sub eorum nomine circumfertur.

Probatur: Sancti Ecclesiae Patres ab ipso Initio Christi Ecclesiae non interruptâ traditione istud Symbolum Apostolis tribuunt, Ergò ab Apostolis conditum est. Pr. *Ant:* S. Ireneus Lib: 1. contrà haereses cap: 10. inquit: *Ecclesia enim per universum orbem usq; ad fines terrae seminata, ab Apostolis, & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in Deum Patrem Omnipotentem.* Tertulianus Lib: de Praescriptio: haeretic: cap: 37. ait: *In ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Porrò Tertulianum Regulae nomine intellexisse istud, de quo agimus, Symbolum, fit manifestum, *imo:* Ex Lib: de velandis Virginibus cap: 1. ubi dicit: *Regula fidei una omninó est sola, immobilis inreformabilis, credendi scilicèt in unum Deum Omnipotentem, mundi conditorem,*

& in

& in Filium ejus JESUM Christum, &c. Fit clarum hoc ipsum, *2do*: Ex Lib: contrà Praxæam, ubi cap: 2. recitato hoc Symbolo ait: *Hanc regulam ab initio Evangelij decurrisse, quibus autèm Authoribus, nisi Apostolis, qui eam à Christo acceperant?* S. Ambrosius Epist: 81. inquit: *Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum sempèr custodit, & servat.* S. Cælestinus 1mus Pp. M. in Epist: ad Nestorium Symbolum istud vocat: *Symbolum ab Apostolis traditum.* Concilium Ephesinum in ralatione ad Theodosium Augustum de Nestorij depositione inquit: *Fides initio quidèm à Sanctis Apostolis tradita, posteà veró à trecentis octodecim Patribus in Metropoli Nicæna exposita.* Rufinus in præfati Expositione Symboli ad Laurentium ait: *Tradunt Majores nostri, quod Apostoli discessuri abinvincem, normam sibi priùs futuræ prædicationis in commune constituunt, nè fortè alij alió adducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur exponerent; Omnes igitur in uno Concilio, & Spiritu Sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus prædicationis indicium in unum conferendo, quod quod sentiebat unusquisq; componunt, atqué hanc credentibus tanquàm esse regulam statuunt.* Similia habet S. Hieronymus Epist: aliàs 61. modo 38. S. Leo Serm: 60, qui est 11. de passione Lini cap: 2. & Epist: aliàs 23. modo 27. & plures alij.

Confirmatur: Quamvis etiàm horum Veterum non haberemus testimonia adeò aperta, uti reverà sunt, sufficere tamèn nobis debet ad nostrum probandum intentum continua Ecclesiæ testificatio, quæ sempèr hoc Symbolum *Apostolorum* nominavit, & ut ab Apostolis conditum tradidit; Nàm juxtà regulam S. Augustini Lib: 4. contrà Donatistas cap: 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nèc à Concilijs institutum, sed sempèr retentum est, nonnisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Cùm ergò hoc Symbolum sempèr ab Ecclesia retentum sit, nèc à Concilijs institutum legatur, ab Apostolis traditum fuisse certissimè demonstratur.

Nèc refert, quod Adversarij reponere solent: Illud Symbolum *Apostolicum* sivè *Apostolorũ* à Veteribus nominari, quia continet doctrinam Apostolicã, sivè ab Apostolis traditã, tàmetsi Apostolos non habuerit Authores.

Contrà enim est. Si puram doctrinam Apostolicam continet, quàm tamèn non in hanc methodum ipsi Apostoli ordinaverint, quæro quis eam collegit, quis in hanc Summam redegit? Nullum profectò assignabùnt Adversarij Pontificem, nullumq; Concilium, quod talia præstiterit. Ergò

cùm

cùm illud Ecclesia sempèr tenuerit, nec assignari valeat pòst Apostolorum tempora ejusmodi initium, ab ipsis Apostolis ortum habuisse certò credendum est. His accedit: Etiàm cætera alia Symbola doctrinam continere Apostolicam, quis verò ea omnia Apostolica esse hâc ratione affirmabit?

Objicies 1mo: Si hoc Symbolum ab Apostolis concinnatum fuisset, ipsi Apostoli in suis Epistolis, & S. Lucas in Actibus Apostolicis aliquomodò illud nominassent, nè Catholicam Ecclesiam rem tanti momenti ignorare sinissent; Atqui Apostolorum nemo, imò nec S. Lucas talis Symboli meminerunt, Ergò illud non est conditum ab Apostolis.

℞. N. *Maj:* Multa enim alia sunt ab Apostolis facta, quorum nec S. Lucas, nec ullus Apostolorum meminit; Quarè hujusmodi negativum argumentum nullum negotium Catholicis facessit. Vel si hæc non arrident, D. *Maj:* Apostoli, & S. Lucas talis Symboli meminissent, si scripto traditum esset ab Apostolis. C. *Maj:* Si pertineret solùm ad Traditiones non scriptas, N. *Maj:* Porrò illud Symbolum non scripto ab Apostolis consignatum est, sed fidelium memmoriæ comendatum, fidem faciente S. Hieronymo Epist: 61. ad Pamachium dicente: *Symbolum fidei & spei nostræ, quod ab Apostolis est traditum, non scribitur in carta & attramento, sed in tabulis cordis carnalibus.* Idem fatetur Rufinus in expositione Symboli, & S. Petrus Chrysologus Serm: 62. Mirum ergò esse non debet, quod Apostoli, & S. Lucas de illo Symbolo nè verbum habent. Addo S. Lucam teste S. Hieronymo multa Hystoriographi licentiâ prætermisisse; nèc enim Evangelij à se conscripti meminit, & tamèn indè inferri non potest, Evangelium à S. Luca conscriptum non esse.

Objicies 2do: Si illud Symbolum ab Apostolis editum esset, pars Canonicæ Scripturæ censeri deberet. Atqui nullus Patrum dùm Scripturarum Canonem refert, illud Symbolum in eo reposuit; Ergò Apostolos Authores non habet.

℞. N. *Maj:* Nàm Scriptura Canonica ideò talis dicitur, quia Scripto tradita est, vel jussa est tradi. Symbolum verò, de quo disputamus, nèc scripto Apostoli tradiderunt, sed vivâ voce, nèc in carta scribi mandarunt, sed penès Ecclesiam reliquerunt, ut veluti de manu in manum transiret. Ità sentiunt S. Cyrillus Cathechesi 5. quæ est de fide & Symbolo, ubi etiàm scribit: Nèc ipsis Catechumenis quædam fidei mysteria solita fuisse tradi, Rufinus loco citato dicens *Id circò deniq; hæc non scribi in cartis & membranis,*

membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset neminem hac ex lectione, quæ intervenire ad infideles potest, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficere. His consentit S. Augustinus Serm: 12. & cap: 24. ubi agit ex professo de traditione Symboli, & vetat, nè scripto tradatur.

Objicies 3tio: Symbolum non erat necessarium fidelibus, nisi ut se Hæreticis opponerent, & contrà ipsorum errores munirentur. Atqui Apostolorũ temporibꝰ nulli erant Hæretici, Ergò nulla fuit Symboli necessitas.

℞. N. *Min:* Nàm eò temporis Symoniani, Corynthiani, & Ebbionitæ grassabantur, imò intèr ipsos fideles, ut S. Paulus in suis Epistolis testatur, falsi apparebant Seductores, falsi Prophetæ, & falsi Fratres, multiq; ex circumcisione Judæi simulabant se esse Christi Apostolos, & lucri alicujus, vel ventris gratiâ, ut ait Rufinus, ad prædicandum proficiscebantur, nominantes quidèm Christum, sed non integris traditionum lineis nuntiantes. Idcircò istud Symbolum proposuêre Apostoli, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundùm Apostolicas regulas prædicaret. Cæterùm dato etiàm nullos fuisse hæreticos Apostolorum temporibus, adhùc fidei & Ecclesiæ pro tempore futuro debebant Apostoli per Symbolum consulere, & providere.

Objicies 4to: Non conveniunt Sancti Ecclesiæ Patres in assignanda ratione, quæ Apostolos impulit, ut tale Symbolum ederent. Discrepant etiàm in tempore, quo illud Symbolum editum est. Igitur non est ab Apostolis editum.

℞. N. *Consequ:* Cùm rationes diversæ, quæ à SS. Ecclesiæ Patribus adducuntur, nullatenùs intèr se pugnent, & Apostoli varias potuerunt rationes habere illius Symboli condendi, nihil officit nostræ Thesi, etsi Patres in assignanda prætensa ratione non conveniant, sicùt nec refert ad ejusdem rei veritatem quidquàm, quo tempore illud Apostoli ediderint. Communior tamèn & probabilior Sententia Baronij est, Apostolos scilicèt priùsquàm in Gentes dividerentur, illud Symbolum edidisse, & quidèm simul convenientes, cui Sententiæ favet S. Isidorus Lib: 2. de Ecclesiasticis Officijs dicens: *Discessuri ergò abinvicèm normam sibi priùs futuræ prædicationis in commune constituunt.* Et Rufinus non semèl laudatus huic Sententiæ haud dissentit inquiens: *Discessuri ergò ad prædicandum, ut diximus, istud unanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuêre.* Hoc verò accidit anno Xsti 44. Claudij 2. à Christi passione 18. Ex his verò

apparet

apparet Apostolos in edendo Symbolo hunc præ oculis habuisse finem, ut nempè in fide uniformitatē statuerent, nè fortè alij ab alio abducti diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur exponerent, nec non ut relinquerent signū sivè tesseram, quâ veri fideles à falsis distingverentur.

Objicies 5to: Si ab Apostolis Symbolum, de quo nobis est quæstio, fuisset compositum ijs sententijs, eo ordine, atq; illis verbis, quibus nùnc in Ecclesia recitatur, jàm non his verbis in hac Ecclesia, alijs in alia, imò hic longè pluribus, alibi verò multò paucioribus constitisset. Atqui varijs in Ecclesijs varia cernere est Symbola; In Romano Symbolo siquidèm habetur: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem Cœli & terræ*, In Orientali Ecclesia eidem Symbolo additur vox *Unum*, In Aquilejensi pòst Omnipotentem subditur: *Invisibilem, & impassibilem*. In tertio Symboli Articulo Romana dicit Ecclesia: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex MARIA Virgine*. Aquilejensis verò Ecclesia habet: *Qui natus est de Spiritu Sancto ex MARIA Virgine*. In Hierosolymitanæ Ecclesiæ Symbolo hæc duntaxàt habentur verba: *Incarnatum, & hominem factum*, Ut constat ex S. Cyrillo Hierosolym: Cathechesi 12. atqué eadem diversitas habetur in Articulo 4to, 9no, & 11mo. Ergò Symbolum istud non est ab Apostolis compositum ijs Sententijs, eo ordine, & istis verbis, quibus nunc in Ecclesia recitatur, ac proindè estò Catholicam doctrinam contineat, ab Apostolis tamèn concinnatum non est.

℞. D. *Min:* Si in omnibus Ecclesijs æquè esset integrum, ac intemeratum, C. *Maj:* Si in alijs Ecclesijs quædam adjecta sint, vel prætermissa, N. *Maj:* Porrò in sola Romana Ecclesia Apostolicum Symbolum eo ordine, ijsqué planè verbis, ac sententijs recitatur, quô ab Apostolis traditum est, in alijs verò Ecclesijs interdùm aliqua sunt adjecta majoris explicationis gratiâ, proptèr novas emergentes hæreses, quæ tamèn in alijs Symboli articulis sivè capitibus implicitè, virtute, vel etiàm æquivalentibus verbis continebantur; Undè ex Symbolo Aquilejensi, vel Orientali colligere non debemus, quid Apostolicum Symbolum in se contineat, sed ex solius Romanæ Ecclesiæ Symbolo, siquidem teste S. Ambrosio Lib: 1. Epist: 7mâ ad Syricium: *Ecclesia Romana Symbolum Apostolicum intemeratum sempèr custodit & servat.* Quod ipsum confirmat etiam Rufinus in expositione Symboli inquiens: *Non importunè commonendum puto, quod in diversis Ecclesijs aliqua alijs verbis inveniuntur adjecta, in Ecclesia tamen*

Urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror, quod nequé hæresis ulla illic sumsit exordium. Cæterùm infrà de alijs pertractando Symbolis causa additionis in ipsis manifestè constabit.

Objicies 6to: In illo Symbolo dicitur: *Credo--- Sanctam Ecclesiam Catholicam,* hoc est universalem, sed antequàm Apostoli dispergerentur in universum mundum ad prædicandum Evangelium, Ecclesia Christi dici nullatenùs potuit Catholica sivè universalis, Ergò eò temporis ab Apostolis editum non fuit.

℞. Imprimis quis prohibet asserere: Christi Ecclesiam Prophetico Spiritu ab Apostolis *Catholicam* sivè universalem potuisse nominare? Cæterùm si hoc responsum ad palatum non sit, repono: Hanc vocem *Catholicam* fuisse adjectam Symbolo Apostolorum contrà Hæreticos, & Schysmaticos; Nàm S. Pacianus Epist: 1. ad Sympronianam testatur: Apostolorum temporibus consvetudinem non obtinuisse, ut Christiani *Catholici* dicerentur, & Ecclesia *Catholica* nuncuparetur; Quod nusquàm ille Vir Sanctus æquè ac Eruditus scripsisset, si Ecclesiam ab Apostolis *Catholicam* in Symbolo apellatam observasset.

Objicies 7mo: Antè Rufinum quadringenti ferè anni abière, antequàm de Symbolo ab Apostolis condito ab aliquo esset auditum. Imò ipse Rufinus non dicit: *Apostoli,* sed *Qui Symbolum tradiderunt.* Sed his verbis videtur exprimere, incertos fuisse Authores illius Symboli. *Deindè* Si tale Symbolum Apostolicum esset, cur quæso in Missa non recitatur, sed ejus loco Constantinopolitanum substituitur? Non est ergò omninò certum atq; indubium Symbolum, de quo disputamus, ab Apostolis fuisse conditũ.

℞. Ad *1mum:* N. *Ant:* Nàm illud Symbolum ab Apostolis conditum fuisse antè Rufinum, testati sunt Tertulianus, & S. Irenæus, ut notavimus in probatione, undè ipse Rufinus rem non enarrat ex propria Sententia, sed ex traditione Majorum. Dùm verò Rufinus dicit: *Qui Symbolum tradiderunt,* non incertos Symboli inducit Authores, sed hoc relatè ad Apostolos dicit, quorum anteà mentionem fecerat, aùt ad Discipulos Apostolorum, per quos accepimus Apostolicas Traditiones. Ad *2dum* dico: Constantinopolitanũ Symbolum non esse aliud ab Apostolico, sed hujus esse explicationem adversùs posteriores hæreses, adeòq; meritò in Missa canitur; quanquàm Romana Ecclesia frequentiùs recitet Apostolicum, ter saltèm quotidiè in Divinis Officijs, & in privatis precibus quàm sæpissimè.

QUÆRES

QUÆRES,

QUOMODO APOSTOLI ILLUD SYMBOLUM EDIDERUNT?

NOnnulli Catholici recenſitos impugnando Proteſtantes, ità illud Symbolum ab Apoſtolis in unum collectis editum putant, ut ſingulos illius Articulos ſeorſim atqué diſtinctim ſinguli protulerint Apoſtoli, Petro videlicèt inchoante: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem*, Joanne ſubjungente: *Creatorem Cœli & terræ*,atq; ità de reliquis ad Mathiam uſq; Apoſtolorū ultimum pronuntiantē: *Vitam æternā Amen.* Verùm contra hos:

Dico: Nullum eſt invictum fundamentum aſſerendi: Apoſtolos ità ſuum Symbolum edidiſſe, ut unusquiſq; illorum ſeorſim atqué diſtinctè proprium ediderit atqué protulerit articulum.

1mo: Siquidèm talis Sententiæ Vindices nituntur Epiſtolâ S.Clementis ad Jacobum Fratrem Domini datâ, in qua dicitur: Apoſtolos Symbolum condidiſſe, & unumquemq; quod ſenſit dixiſſe.

Verùm hanc Epiſtolam S. Clementis non eſſe conſentiunt ferè omnes Criticæ Scientiæ periti, nec eſſe illam germanam, ſed apocryphàm palàm pronuntio, ſi ad Jacobum Fratrem Domini, ut præfertur, ſcripta ſit.

Pr. *Aſſumtum:* In Epiſtolâ Divi Petri Obitus mentio fit, ſed certiſſimè conſtat, Divum Petrum nonniſi octennio poſt Jacobum Fratrem Domini martyrio ſublatum eſſe. Igitur *&c. Deindè* Laudata Epiſtolæ verba non innuunt: ſingulas ſententias, ſeù articulos, ſingulos Apoſtolos diviſim protuliſſe, ſed unumquemqué ſuum ſuffragium tuliſſe, in eandem tamèn omnium Articulorum ſententiam conſpirando.

2do: Contendunt ijdem Authores ex Serm: 115. D. Auguſtini *de tempore* proprium intentum commonſtrare, in quo ſinguli Apoſtoli ſingulas ſententias pronuntiantes referuntur. At nemo ignorat illum Sermonem S. Auguſtini non eſſe; Imò cujuſcunq; tandèm Authoris ſit, vitiatum & interpolatum fuiſſe multis oſtendit Natalis Alexander Diſſ: 11. ſæculi 1mi.

3tio: Id ipſum confirmant Suffragiô S. Leonis Magni, dùm ait in Epiſt: 13. ad Pulcheriam Auguſtam: Symboli confeſſionem duodecim Apoſtolorum, totidemqué eſſe ſignatam ſententijs. Sed malo Conſilio. Nàm Sanctiſſimus Pontifex hoc ſibi unicè vult: Tot nimirùm in Symbolo ſententias eſſe, ſeu Articulos, quot erant Apoſtoli, non autèm ſingulos ſeorſim ſingulas ſententias pronuntiaſſe. Præterquam quod pro-

babiliter emunctæ naris Critici existimant,non advertisse S.Leonem, non fuisse tunc duodecim Apostolos in unum collectos, dùm fuit illud conditum Symbolum, instante scilicèt illorum profectione in varias mundi Regiones ad prædicandum Evangelium; Siquidèm Jacobus Frater Joannis, cui (nostrâ quidèm Sententiâ) perperàm adjudicatur Articulus 3tius: *Et in JESUM Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum*, jàm martyrio sublatus erat, ut constat Act: 12. Paulus etiàm, qui tunc duodenarium in Apostolico collegio implebat numerum,Hierosolymis procùl aberat, dùm profectionem pararent alij. Probabiliùs itaq; existimandum est: Omnes Apostolos se in commune contulisse, & in eandem cujusqué Articuli Spiritu S. dirigente conspirasse Sententiam: Eâ fermè ratione: quâ Decreta, & Canones in Concilijs disponi solent. Quodsi huic asserto S. Bonaventuram, & multos alios Scriptores opponant. Præstò sunt nobis S. Isidorus Lib: 2. de Eccles: Officijs cap: 22. Hingmarus Remensis in Epist: ad Præsbyteros Remensis Parochiæ, & plures alij oppositum sentientes. Si quæ plura circà hoc Symbolum desiderarentur, videri possunt in accuratissimis Scriptoribus Hiacyntho Serry Disp: 2. Prælect: 1. de Fide, Laurentio Berti Lib: 22. de Theologicis Disciplinis cap: 7. & Gasparo Juvenin Institut: Theologicarum parte 7. Dissert: 4. Art: 3.

QUÆSTIO SECUNDA

AN CHRISTUS REVERA AD INFEROS DESCENDERIT, UT IN SYMBOLO APOSTOLORUM ENUNTIATUR?

ANtequàm præsentem decidamus quæstionem, non nulla, quæ præsentem respiciunt controversiam, tanquàm certa supponenda esse censemus. *Primò*: Quidèm Christum Dominum non descendisse ad Inferos secundùm Corpus, cùm istud toto eo tempore in Sepulchro jacuerit, quòd ab ejus morte ad resurrectionem usq; fluxit. Hac de causa Concilium Lateranense 4tum ait: *Descendit in anima, resurrexit in carne, ascendit paritèr in utroqué.*

Licèt verò secundùm animam, non item verò secundùm corpus descenderit, totus tamèn Christus Inferos subintrasse dicendus est, quia masculinum genus pertinet ad hypostasim, vel personam,neutrùm autèm

pertinet

pertinet ad naturam; In morte autèm Christi licèt Anima fuit separata à Corpore, neutrum tamèn fuit separatum à persona Filij DEI: Et ideò in illo triduo mortis Christi dicendum venit: Totum Christum fuisse in Sepulchro, quia tota Persona Christi fuit ibi per Corpus sibi unitum, & similitèr totus fuit in inferno, quia tota persona Christi fuit ibi ratione animae sibi unitae, totus etiàm Christus erat ubiqué ratione Divinae naturae. Quae omnia sapientissimè notavit D. Thomas part: 3. q. 52. art: 3.

Illud etiàm supponere hoc loco debemus: Animam Christi descendisse ad Inferos, non utiqué eo motûs genere, quo descendere ac moveri solent corpora, sed illâ motûs notione, quo Angeli, sivè aliae quaecunq; spirituales scientur substantiae.

Fuerunt porrò Haereticorum nonnulli, qui illum articulum: *Descendit ad Inferos*, è Symbolo Apostolorum eradere conati sunt. Calvinus in primis suis Catechysmis descensum Christi ad Inferos, depositionem ejus Corporis in Sepulchrum est interpretatus. Idem ipse non sanae mentis homo Lib: 2. Instit: c. 16. cùm perspexisset suum tale interpretamentum nullo penitùs fundamento niti, blasphemare est veritus: Christi animam in Inferis subjisse damnationem, & paenas, quae daemonibus, ac reprobis flammis aeternis addictis ab irato Deo infliguntur. Alius quidam Haereticorum recentissimus, teste Estio, ut dictarum interpretationum absurditatem vitaret, descensum Christi ad inferos interpretatur, mortem illius manifestatam esse malis spiritibus, ut quem saepè audierant promissum mortalibus, eundem jàm exhibitum scirent. Nonnulli tandèm,quos intèr Durandus est, Christum ad inferos descendisse autumant, non quod ejus anima realem sui praesentiam inferis exhibuerit, sed quod effectum in liberandis ijs, qui apud inferos erant, obtinuerit. Catholica verò Ecclesia, pijssima fidelium Mater, & verae Apostolicae doctrinae fidelissima conservatrix sempèr docuit & docet: Christum Dominum verè secundùm animam ad inferos descendisse, ut antiquos Patres, ac coeteros justos, qui ibi captivi detinebantur, liberaret. His adnotatis:

Dico: Christum Dominũ verè secundùm animam descendisse ad inferos, non ut damnatorum paenas ibi sustineret, sed ut Justos, qui illic captivi detinebantur, liberaret. Binas Conclusio obtinet partes, quarum:

Probatur 1ma: Psal: 15. dicitur: *Non derelinques animam meam in inferno.* Quae verba Apostolus Actor: c. 2. de Christo interpretatur. Et S. Augu-

ſtinus Epiſt: 99. aliàs, modò 164. cap: 3. ait: *Secundùm Creaturam enim, quam ex quodam tempore ſuſcipiendo, manens Deus homo factus eſt, hoc eſt ſecundùm animam, eum fuiſſe apud inferos apertè Scriptura declarat, & per Prophetiam præmiſſa, & per Apoſtolicum intellectum ſatis expoſita, quâ dictum eſt: Non derelinques animam meam in inferno.* Reverà igitur Chriſtus Dominus ſecundùm animam deſcendit ad inferos.

Reſpondent Hæretici: Ex illis Pſalmi verbis non niſi in pravo ſenſu intellectis, verùm Chriſti ad inferos probari deſcenſum. Nàm in hebraico hujus loci textu habetur hæc vox *Sheol,* quo dumtaxàt ſignificatur *Sepulchrum.* Geneſis ſiquidèm cap: 10. dùm legimus: *Deducetis cum dolore canos meos ad inferos,* habetur in hebræo *Sheol,* quod omnes pro *Sepulchro* interpretantur. Hinc & author Libri *Tobith* textum illius Pſalmi Græcè reddidit: *Ton Tafon,* id eſt *foveam,* & Scindlerus *terram.* Senſus ergò illorum Pſalmi verborum eſt: *Non derelinques animam meam in Sepulchro,* ſivè *in fovea,* ſivè *in terra.* Verùm.

Contrà eſt: Eâ voce *Sheol* utrumq; ſignificari, Sepulchrum videlicèt, atq; infernum demonſtrant Viri hebraicæ lingvæ peritiſſimi. Nàm conſentientibus cæteris multis Rabbinis Rabbi Levi ait: *Sheol eſt venter terræ depreſſior.* Quem opponimus Authori Libri *Tobith,* & cæteris, ſi qui ſimile amplectuntur interpretamentum. *Deindè* Druſius conſentientibus ſibi ſimilibus hæreticis ad cap: 37. Gen: ſcribit: *Sheol tàm infernum ſignificat, quàm Sepulchrum.* Quod ipſum affirmat Sixtimus Amama Aben-Ezram reprehendens. Tandèm Supulchri proprium hebraicum nomen eſt *Cheber,* nèc *Sheol* pro uno uſurpatur, cùm in Scripturis appelletur *Sheol infernus deorsùm,* adeoq; præter *Sheol,* aùt foſſam ſuperficiei terræ proximam, admitti debet quidam locus, ſivè animorum ſtatus depreſſior.

Probatur 2do eadem pars: S. Petrus 1mâ Epiſt: cap: 3. ait: *In quo, & ijs, qui in carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit,* id eſt: Eodem Spiritu, quem in Cruce moriens in manus Patris cõmendavit, ut exponunt Viri Eruditi. Divus Paulus ad Epheſ: c. 4. ait: *Quod autèm aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Idem Apoſtolus ad Colloſen: c. 2. *Expolians principatus, & poteſtates traduxit confidentèr, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* Sed hæc Scripturarum teſtimonia, aliaqué his ſimilia realem Chriſti ad inferos deſcenſum apertè demonſtrant. Igitur *&c.* Hinc D. Auguſtinus Epiſt: aliàs 99. nùnc 164. cap: 1.

ad

ad Evodium dixerat: *Quis nisi infidelis negaverit, fuisse apud inferos Christũ?*

Probatur altera pars: Christum fuisse in inferis, ut damnatorum pænas lueret, repugnat summæ ejus Beatitudini, quâ Christi Anima à primo conceptionis momento donata fuit. Repugnat quoq; Divinæ Scripturæ Actor: c. 2. dicenti: Quod Deus *Christum suscitavit à mortuis salutis doloribus inferni, quibus impossibile erat teneri eum.* Solvit ergò Christus dolores, quibus alij tenebantur, & quibus eum ligare voluissent maligni spiritus, sed non potuerunt, non utiq; eos patiendo, sed eos ab illis quos liberavit auferendo, quibus ipsum impossibilè erat teneri.

Probatur 2do eadem pars: Christum descendisse ad inferos, ut justos ibi detentos liberaret, plura testantur Scripturarum testimonia. Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Psal: 67. dicitur: *Qui educit vinctos in fortitudine, similitèr eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Psal: 106. *Quia contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Oseæ cap: 6. *Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu ejus, sciemus, sequemurq; ut cognoscamus Dominum, &c.* Et cap: 13. *De manu fortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* Ecclesiastici c. 24. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

Hoc ipsum Sancti Ecclesiæ Patres tùm Græci, tùm Latini tradidêre, hoc docuit Ephesinum Concilium, hoc plures congruentiæ commonstrant, sicuti doctissimo exaravit calamo Eminentissimus Cardinalis Gotti Quest: 2. §. 2. pag: 11.

Objicies 1mo: Ille articulus: *Descendit ad inferos,* omittitur in Symbolo Nicæno, in Antiocheno, in Sardicensi, in Constantinopolitano, in Symbolo Pelagij, Charisij, Macharij Antiocheni, & in alijs, pluresquè Patres talem descensum non agnovêre, non ergò re verâ Christus infernum penetravit; Nàm saltèm Nicænum talem articulum non omisisset, si hoc dogma agnovisset, quippè nihil eo magis valuisset ad refellendum Arium negantem in Christo fuisse animam.

℞. Imprimis Descensus Christi ad inferos habetur in Symbolo S. Cyrilli Hierosolymitani Cate:4. ubi legitur: *Passus, crucifixus, sepultus, descendit ad loca inferna;* Floruit verò Cyrillus circà annum 370. Extat id ipsum & in Symbolo S. Epiphanij, qui paritèr claruit circà annum 390. adeoq; falsum est, Patres nunquàm hoc dogma agnovisse, & in omnibus Symbolis

bolis illud omitti. Quinimò illud etiàm est in Symbolo Arianorum in Concilio Ariminensi proposito anno 359. Nàm Arianos intèr erat Secta Lucianistarum; qui animam Christi impugnabant; altera quæ opponebatur Apollinario, Accacianorum nempè, qui animam Christi non denegabant, & utroq; pollice subscribebant. Nicænum verò Symbolum definiens Christi Divinitatem adversùs totam Arianorum familiam, apposuit *Omousion*, nec necesse existimavit etiàm illud addere, quod Ariana Secta admittebat, maximè quia si Christi Divinitas est eadem ac Patris, gerere non potuit vices animæ, quam tristitiâ ac dolore affectam testatur Scriptura; Quarè dùm Christo tribuitur Divina natura, & vera passio, etiàm illi conceditur anima capax passionis, adeòq; non malè Rufinus ait: Descensum Christi animæ ad inferos intelligi in præcedentibus verbis: *Mortuus & Sepultus est*. His omnibus accedit: Illum articulum: *Descendit ad inferos*, pòst Nicænum fortè Concilium (vel quovis tandèm tempore) additum esse, ad pleniorem Apollinaristarum confutationem, nec negandum omninò est Symbolo ab Apostolis edito aliquas particulas substantiam doctrinæ non immutantes posteriorum hæresum occasione fuisse adjectas, ut etiàm paulò anteriùs innuimus.

Tandèm Symbolum Nicænum nec expressit Sepulturam Christi, & Processionem Spiritûs Sancti etiàm à Filio, licèt dixerit eum procedere à Patre, & tamèn adversarij credunt Christum fuisse Sepultum, & Spiritum Sanctum procedere etiàm à Filio contrà Græcos fatentur, quia hæc omnia in Scriptura habentur, ergò cùm in Scriptura paritèr legatur Christi Descensus ad inferos, non est cùr Adversarij illo negativo argumento talem descensum convellere nitantur.

Objicies 2do: Descensus Christi ad inferos popularem credulitatem videtur sapere, Non est ergò dogma fidei. Pr. *Ant:* S. Irenæus ex antiquis Patribus Lib: 4. cap. 39. ait: Christum Spiritibus in inferno degentibus Evangelium prædicasse, & remisisse peccata. Hennas Lib: 3. addit: Administrasse etiàm ipsis baptismum; Imò & D. Petrus Epist: 1. cap: 3. ait: *His, qui in Carcere erant, Spiritibus veniens prædicavit.* Sed hæc omnia vero similia non sunt. Igitur *&c.*

℞. N. *Ant:* ad *probationem*, C. *Maj:* N. *Min:* Si enim dixeris: Christum pòst mortem prædicasse incredulis Spiritibus, ad eorum increpationem, aùt ijs, qui in purgatorio carcere detinebantur, lætum adventûs sui in

mundum,

mundum, & resurrectionis pòst mortem attulisse nuntium, quod D. Damascenus, alijq; Patres testantur, jàm nulla horum, quæ in argumento asseruntur, inverisimilitudo erit, nullaqué in textu D. Petri difficultas, quem reverà in tali sensu S. Irenæus, Cyrillus Alexandrinus, Hermas, & plures fortè ex antiquioribus intellexerunt; Quibus accedit Theodorus Abacura Opusculo 17. Catholicus & ipse Scriptor, ubi ait: Sanctos credentes advenienti Christo ad inferos, baptizatos aquâ, quæ ex Divino profluxit latere, in elementum resolutâ. Hæc contrà primam partem propositæ & defensatæ Thesis Adversarij objectare solent.

Objicies 3tio cùm Calvino contrà alteram præsertim partem: Christus, ut legimus Isaiæ 53. Langvores nostros tulit, & peccata nostra portavit, suscipiendo in se poenas, quæ pro illis debentur, Ergò etiàm debuit suscipere in se, & pati illos cruciatus, quibus in alia vita homo pro peccato punitur; Tali siquidèm pacto plenior fieret satisfactio.

℟. N. *Conseq:* Etenim quandò aliquis se exhibet voluntariè Sponsorem satisfaciendo pro peccato alterius, & pænam pro illius peccato debitam in se suscipiendo, non est necessè, ut omnem pænam ejus peccato debitam in se suscipiat, illam verò præsertim, quæ maximam in se contineat indecentiam, sed sufficit ut talem in se suscipiat poenam, quâ reddat æquivalens poenæ pro peccato debitæ: Sic *vg:* ut aliquis satisfaciat pro poena, cui debetur suspendium, non requiritur utiq; ut ipse suspendij poenam patiatur. Cum itaq; Christus Dominus verus Deus suscipiendo in se humanæ naturæ poenalitates usq; ad mortem, easq; suæ Divinæ Personæ dignitate valorando (ut dici solet) tantam exhibuerit æterno Patri satisfactionem, quæ quamcunq; poenam peccato debitam, etiàm æternam & infinitam superexcederet, iniquum omninò fuisset illum ulteriori poenæ in satisfactionem subjicere.

Instabis: Christus Dominus dicitur descendisse de Cælo suscipiendo in se humanæ naturæ poenalitates in hac vita, Ergò etiàm dici debet descendisse ad inferos suscipiendo in se inferorum poenas.

℟. N. *Conseq:* Et paritatem. Quia inferorum poenæ proprio peccato unicè debitæ sunt, nec Christi Domini personæ convenire unquàm potuerunt, quia hic etsi peccatorum personam gereret, non tamèn culpam, utpotè cujus anima essentiali fruens Beatitudine, à DEO Patre per damnatorum cruciatus separari non poterat; Tota itaq; discriminis ratio

in hoc poni debet: Quod pœnalitates humanæ, quas Chriſtus in hac vita perferebat, non ſeparabant eum ab eſſentiali ſua beatitudine, ſicuti præſtitiſſent inferorum pœnæ, ſi eas ſubjiſſet.

Inſtabis: Chriſtus Dominus in Cruce poſitus exclamavit dicens: *Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Sed hoc non alia de cauſa, niſi quod eo temporis omnes cruciatus, quibus in inferno torquentur damnati, in ipſum irruerint. Igitur *&c.*

℞. N. *Min:* Hæc enim Chriſtus in Cruce poſitus dixit, non quod reverà ab æternó Patre fuerit derelictus, cùm quo unam eandemqué naturæ ſubſtantiam ſempèr retinet, ſed ad commonſtrandam veram ſuam humanitatem, quæ niſi Divinitate ſibi unitâ fuiſſet adjuta, nequaquàm tantos dolores, pœnas, & acerbiſſimam omnium agoniam valuiſſet ſufferre.

Objicies 4to: Ideò Chriſtus deſcendiſſet ad inferos, ut indè erueret veteres Juſtos, qui antè paſſionem Chriſti in Limbo detinebantur. Sed hoc vel eſt falſum, vel non probat Chriſti realem ad inferos deſcenſum. Igitur *&c.* Pr. *Min: quó ad 1mam partem:* Viam ſalutis fuiſſe antiquis Juſtis clauſam nullo ſcripturæ Divinæ teſtimonio comprobari poteſt; Imò eorum intemeratæ juſtitiæ injurioſum eſt. Ergò *&c.* Pr. *Min: quó ad alteram partem:* Abſqué eo, quod in infernum realiter Chriſtus deſcenderet, poterat per manifeſtationem ſuæ mortis, ac Divinam virtutem Juſtos apud inferos detentos indè liberare. Ergò *&c.*

℞. C. *Maj:* N. *Min:* Quò ad utramq; partem, ad probationom prioris partis, N. *Ant:* Æquè quô ad utramq; partem. Nàm imprimis Apoſtolus ad Hebræ: cap: 9. ait: *Nondùm propalata erat Sanctorum via,* Quæ fuſo dumtaxàt Chriſti ſangvine propalari debeat docente Sancto Thoma, cùm cæteris Sanctiſſimis Eccleſiæ Patribus. Undè idem D. Paulus ad Hebræ: cap: 11. recenſitis antiquis Patribus, qui per fidem Juſtitiæ opera fecerunt, concludit: *Et hi Omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, DEO pro nobis melius aliquid providente;* Id eſt non acceperunt repromiſſionem gloriæ uſqué ad Chriſtum, ut exponit D. Thomas. Hâc ratione D. Paulus ad Epheſ: capit: 4. de Chriſto ait: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem.* Nonniſi ergò obcæcati Calviniſtæ in depravatis eorum Biblijs nullum vident teſtimonium Divinæ Scripturæ ad oſtendendum Cœlorum Regnū antè Chriſti adventum omnibus utcunq; Juſtis fuiſſe recluſum. Sed nequé injurioſum hoc cenſeri debet Juſtitiæ

antiquo-

antiquorum Patrum. Nàm ejecto Adamo proptèr peccatum è Paradiso, toti humano generi justissimè praeclusus mansit aditus ad Coeleste Regnum, cùm omnes posteri ejus perversae voluntati consensisse supponantur.

Ad alteram probationem prioris argumenti dico: Poterat equidèm Christus Dominus Divinâ virtute per solam suae mortis manifestationem Justos in inferis detentos liberare, sed ità reverà non fecit, nec ità eum fecisse facilè ostenditur. Si enim eo tantùm sensu Christus descendit ad inferos, quia ejus mors inferis manifestata est, quomodo ergò Christus ab inferis reductus dicitur Psal: 29. *Eduxisti ab inferno Deus animam meam?* Nunquid notitia mortis ejus, & virtus passionis apud inferos cessavit, & non potiùs manet, ac operatur usq; ad hodiernum diem? Cùm ergò dictum non sit Psal: 15. *Non derelinques mei notitiam, vel virtutem in inferno, sed animam meam,* jàm clarum est, Christum non secundùm manifestationem & virtutem tantùm, sed secundùm animae praesentiam ad inferos descendisse.

Collige: Malo consilio Calvinistas realem Christi ad inferos descensum inficiari ex eo, quod Psal: 67. dicatur: *Qui educit vinctos in fortitudine, similitèr eos, qui exasperant, qui habitant in Sepulchris,* & perversè satis ex hoc testimonio inferre: Inferos; ad quos Christus descendit, pro illius Sepulchro accipi debere. Etenim Christi ad inferos descensus his verbis Ecclesiastici cap: 24. describitur, atq; praenuntiatur: *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Sepulchrum porrò Christi non erat in inferioribus partibus terrae, neq; erant in eo alij dormientes, quia ut habetur Luc: cap: 23. Joseph ab Arimathaea posuit Corpus JESU in monumento exciso, in quo nondùm quisquàm positus fuerat.

Manet itaq; inconcussum Catholicum dogma: Christum Dominum reverà secundùm realem praesentiam animae descendisse ad inferos, & illis, qui in purgatorio detinebantur, spem consequendae gloriae dedisse, Sanctis verò Patribus, qui pro solo Originali peccato detinebantur in inferno loco lumen aeternae gloriae infudisse. Non descendisse verò in infernum damnatorum secundùm eamdem realem praesentiam, sed solùm secundùm effectum, non quo eos à damnatione liberaret, sed quo eos de sua incredulitate confutaret, dando videlicèt per modum cujusdam revelationis eis intelligere, quàm justè sint damnati, & quanta sit gloria Christi, in quem credere renuerunt, quàmq; felix Beatarum animarum status, quae

jàm ab inferno (sed non damnatorum) per ipsum erant liberandæ. Ex quibus sequebatur in damnatis singularis dolor ob triumphum Christi, & Sanctorum felicitatem. Sed ab his ulteriùs pertractandis protinùs abstineo, nè oratio prætèr suum intentum aliò se vertat.

QUÆSTIO TERTIA

UTRUM IN CONCILIO NICÆNO RECTE SYMBOLO FUERIT ADDITA VOX *OMOUSION*?

TRibus prioribus Ecclesiæ sæculis ubiq; gentium solum Apostolorum Symbolū usui consecratum erat, quarto verò sæculo Arij impietate Ecclesiam invadente, impio blasphemantis ore: Dei Verbum non esse Deum, sed Creaturam, factam quidèm antè omnes alias, sed tamèn ut alias ex nihilo eductas, adeoq; fuisse tempus, quandò Dei verbum non fuit.

Patres 318. Nicææ in Bithynia congregati circà annum Christi 325. existimarunt aliud Symbolum condere, in quo expressiùs, quàm in Apostolico Verbi Divinitas declararetur, qua de causa in illo Symbolo dixerunt: Verbum sivè Filium DEI esse *Omousion*, id est consubstantialem Patri, atqué cum eo esse ejusdem omninò æternæ naturæ.

Circà quod illud animadvertendum venit: *Omousios* vocem compositam esse, ex *Omau simul*, & *usia* sabstantia. Vis adverbij *Omoù simul* alia non est, quàm significare ambo eandem rem esse: ut cùm dicitur: *Omoeidis ejusdem speciei*, *Omonimos ejusdem nominis*, aút verò significare rem esse simùl: ut cum ajo: *Omoklikis simùl una ætate*, *Omotrophos simùl nutritus*; *Usia* autèm idem exprimere, ac *natura*, *substatia*, *essentia*, ab *on usa*, id est *ens* participium verbi *eimi*, id est sum. His prænotatis:

Dico: Vocabulum *Omousion* ritè, atq; oportune à Sacrosancto Nicæno Concilio adversùs hæresim Arianam fuisse receptum, Symbolo additum, & consecratum.

Probatur: Patres Nicæni illâ voce in Symbolo meritò usi sunt, ac oportunè, quæ aptissima erat ad damnandam Arianorum hæresim, & ad stabiliendam Catholicam fidem de verbi Divinitate, atqui vox *Omousion* erat hujusmodi. Ergò *&c.* Pr. *Min: 1mo:* Ariani docebant, an veriùs blasphemabant, verbum ex non extantibus factum esse, fuisse tempus, quo

illud non esset, ipsum esse creaturam, licèt aliquo sensu à caeteris creaturis dissimilem. Sed ad tales errores profligandos aptissima erat vox *Omousion*, quippè quae significat, verbum esse unius ejusdemq; cùm Patre substantiae seù essentiae. Atqui eo ipso quod verbum unius ac ejusdem substantiae cùm Patre est, factum non fuit ex non extantibus, nec praesupponitur tempus, quo non fuerit, nec ullâ ratione potest dici creatura. Igitur *&c.*

Prob: 2do eadem Minor: Catholici docebant, verbum esse ex substantia Patris, esse verè, ac propriè Deum, genitum, non factum. Sed vox *Omousion* ea omnia significat, Ergò *&c. Min:* patet. Qui enim unam habet essentiam cùm Patre, verè ac propriè Deus est, sicùt ipse Pater.

Confirmatur clariùs hoc ipsum argumenti genus: Duo impiè Ariani asserebant, & Filium ex nihilo esse, & aliquandò cùm Patre non fuisse, quae duo Arianae perfidiae monstrosa capita à Sacrosancto Nicaenorū Patrum Concilio damnanda ex professo erant. Sed per vocem *Omousion* utrumq; horum condemnatur, Vocabulum ergò istud ritè & opportunè fuit usurpatum. Pr. *Min:* Ex notatis *Omousios* aùt significat esse ambo eandem rem, eandemq; substantiam, aùt in eadem substantia esse simul. Sed si Filius est *Omousios* priori significatione, non est productus ex non extantibus, benè verò ex Patris substantia, adeoq; refellitur Arius dicens: *Ex nihilo Filius.* Si verò altero sensu accipias *Omousion*, Ergò nunquàm fuit Pater in sua essentia absq; Filio, adeoq; mentitur Arius asserens: *Fuit aliquandò, quandò non fuit.* Hâc ergò voce *Tù Omosiù* confoditur blasphemia Arianorū.

Deindè: Profitetur Catholica Fides non tantùm Filium esse à Patre, sed etiàm esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; Siquidèm esse à Deo competit etiàm Creaturis à Deo utiquè factis, esse autèm Deum de Deo significat produci à Patre, & unius esse cùm illo substantiae. Sed esse Deum de Deo, est esse *Omousion.* Ergò ut exprimatur Filium non esse à Patre, quomodo ab illo sunt Creaturae, sed unam habere cùm Patre naturam, aptissimum est vocabulum *Tù Omousiù.*

Tandèm: Fuerunt Nicaeni Concilij temporibus, qui asseruerant: Filium similem substantiam habere cum Patre, adeòq; Filium non *Omousion*, sed *Omiusion* apellavêre, contrà quos asserendum est: Filium *eandem* esse cùm Patre, & *simùl* substantiam, quod per *Omousion* rectissimè exprimitur. Ergò ista vox adversùs eos, qui Filium similem substantiâ Patri dicunt, & negant esse consubstantialem, rectè atq; utilitèr pronuntiatur. Neq;

Neq; eſt neceſsè Sanctorum, de hoc ipſo vocabulo teſtimonia producere, quippè horum omnium una vox eſt: Ijs tantùm *Omouſion* diſplicere, qui Filium Patri conſubſtantialem fateri nolunt. Ita Sancti Athanaſius, Hilarius, Baſilius, Auguſtinus, Fulgentius, & alij apud Petavium, & apud cœteros doctiſſimos Controverſiſtas.

Objicies 1mo: Illa vox *Omouſion* in Scripturis non reperitur, Ergò Nicæna Synodus eam adhibere non debuit, ut damnaret Arianorum hæreſim, & aſſereret Catholicam fidem.

℟. Imprimis: N. *Conſeq:* Etenim Nicæna Synodus ad aſſerendam Verbi Divinitatem, & ad damnandam Arij hæreſim habebat quidèm in votis non adhibere alias voces, quàm quæ in ſcripturis continentur; Verùm cum eas omnes in pravum ſenſum Ariani detorquerent, coacta fuit uſurpare vocem *Omouſion*, cui Ariani nullum pravum ſenſum affingere poterant, qui ſuæ hæreſi patrocinaretur. *Deindè:* Si in fidei dogmatibus nefas eſt aliquod nomen uſurpare, præter ea, quæ in ſcripturis leguntur, cùr quæſo Ariani pronuntiabant: *Verbum eſſe ex non extantibus, fuiſſe aliquandò tempus, quandò illud non erat, eſſe quidèm à Patre, ſed non ex Patris ſubſtantia?* Ubi nàm Arius, Eunomius, Aëtius, & alij hæretici, qui præceſſerunt, aùt ſubſequuti ſunt Nicænum Concilium, iſtiuſmodi verba legerunt? Quodſi illis licuit ad evertendam fidem nova ſuperſtruere vocabula, quid cauſæ ſit, quod fidei defenſoribus id vitio vertitur, quod ad evertendam hæreſim tali voce uſi fuerint, quâ unâ & verbi ſignificetur æternitas, & in eo Patris affirmetur ſubſtantia? *Prœtereà* Quarè non refugiebant Ariani voces *Agenniton, Omouſion, innaſcibilem, & ſimilis ſubſtantiæ,* quæ in nullo Sacrarum ſcripturarum Libro inveniuntur, quibus tamèn illi ſuum errorem, veluti meretricium operiebant vultum? Cæterùm falſum omninò eſt in Scripturis *Omouſion* illativè, ſaltèm, & æquivalentèr non reperiri; Quid enim eſt *Uſia?* non aliud profectò, niſi id, quod eſt; Jàm verò Deus eſt Lumen, eſt vita, eſt ſuum eſſe. Sed legimus quoq; in Evangelio Filium eſſe Lucem, eſſe vitam, eſſe illum, *qui eſt,* Ergò legimus ipſum eſſe Deo Patri *Omouſion.*

Objicies 2do: Non expedit, nèc licet ad explicanda fidei myſteria uti inuſitatis, ac novis terminis, atqui terminus *Omouſion* Nicæni primi Concilij tempore inuſitatus, ac novus omninò erat; Utpotè cui tàm evidentèr Ariani contradicere ſint auſi, Igitur ſub nullo prætextu talis terminus expediens fuit.

℟. Impri-

℟. Imprimis: Falſa major eſt. Hæreticorum ſiquidèm vafrities, quâ fit, ut ſæpiùs conſvetis terminis abutantur, perſæpè cogit Eccleſiam ad excogitandos terminos, idq; nè Catholica dogmata hetherodoxorum fraudibus, & cavillis pateant. *Præterea* Quicquid ſit de Majori propoſitione, N. *Min:* Antè primum enim Nicænum Concilium vocem *Omouſion* fuiſſe in communi Eccleſiarum uſu evincitur, *1mo:* Ex S. Irenæo Lib: 1. cap. 1. evincitur, *2do:* Ex Tertuliano initio Libri adversùs Praxæam, evincitur *3tio:* Ex Euſebio Cæſarienſi Epiſt: ad ſuos Cæſarienſes, cujus meminit Socrates hiſt: Eccleſiaſticæ Lib: 1. c. 8. Quorum omniū teſtimonia fuſiori ſtylo exaravit Clariſſimus Gaſpar Juvenin Part: 1. Diſſert: 1. Art: 3.

Objicies 3tio: Nicænum primum Concilium ad explicandam Verbi Divinitatem uti ritè non potuit illâ voce, quam Antiochena Synodus, ſexaginta circitèr annis anteà celebrata expræſsè rejecerat, atq; proſcripſerat. Atqui reverà ità res ſe habuerat, teſte S. Athanaſio Lib: de Synodis Ariminenſi, & Seleucienſi; Siquidèm illa Synodus decrevit: Filium non eſſe *Omouſion* ſivè Conſubſtantialem Patri. Ergö *&c.*

℟. Non una eſt Authorum ad hanc difficultatem reſponſio. Itaq; *1mo:* D. *Maj:* Nicænum primum Concilium uti non potuit voce ſumtâ eodem ſenſu, quo damnata fuerat à ſecunda Antiochena Synodo. C. *Maj:* In alio ſenſu, N. *Maj:* Nonnulli itaq; arbitrantur alteram Antiochenam Synodum damnaſſe vocem *Omouſion* in ſenſu Pauli Samoſateni, qui eam ſumſerant in ſenſu Sabellij Perſonas in Trinitate non diſtingventis, quatenùs vellet cùm Sabellio: Filium eſſe Patri conſubſtantialem ità, ut cùm eo non tantùm naturam, ſed etiàm Perſonam conſtitueret. Qui talia reponere ſolent, innituntur teſtimonio S. Hilarij Lib: de Synodis adversùs Arianos dicentis: *Malè Omouſion Samoſatenus confeſſus eſt, ſed nunquid meliùs Ariani negaverunt?* In hoc autem Samoſatenum confeſſum fuiſſe *Omouſion* docet S. Hilarius: *Quia per hanc unius eſſentiæ nuncupationem ſolitarium atq; unicum eſſe Patrem, & Filium prædicabat.*

℟. *2do:* D. *Maj:* Nicænum primum Concilium uti non potuit illâ voce, quam ſecunda Antiochena Synodus damnaverat in ſe, & abſolutè ſumtam, C. *Maj:* Quam damnaverat propter abuſum tantùm, N. *Maj:* In hoc ſenſu Conceſsâ *Min:* N. *Conſeq:* Paulus Samoſatenus, quamplurimis Theologis referentibus nuſquàm dixit: Filium eſſe conſubſtantialem Patri, ſed eâ doctrinâ, & eo loquendi modo, quem probè noverat apud Catholicos

licos passim receptum esse, abusus est, ut contrà ipsum probaret: Indè sequi, tres esse substantias in Deo, unam, quae prior esset, & duas alias ex illa priori productas. Ut verò Antiocheni Patres impedirent, nè tale sophisma simplicioribus Catholicis offendiculo esset, vetuerunt nè Filius Patri consubstantialis diceretur. Hoc responsum videtur fundamentum habere ex S. Athanasio Lib: de Synodis Ariminensis, & Seleu: nec non ex S. Basilio Epist: 300. quorum testimonia profert Gaspar Iveninus.

℞. 3tio: Cùm P. Lauren: Berti D. *Maj:* Nicaenum primum uti non potuit illâ voce, quam Antiochena Synodus damnaverat corporalitèr acceptâ, quatenùs nempè *Omousion* in rebus creatis significat naturam & essentiam speciè unam, quae singulis individuis scinditur ac dividitur, quomodò hanc vocem urgebat Paulus Samosatenus, C. *Maj:* Proùt haec nativâ ac propriâ significatione demonstrat plures Personas, quibus eadẽ essentia communis est absq; naturae partitione & scissione, quae partitio, & scissio non ex hac voce infertur, sed ex conditione Creaturarum, N. *Maj:* In tali sensu concessâ *Min:* N. *Conseq:* Ità enim verò res se habet; Cùm enim antiqui Patres *Omousion* disertè confessi fuerint, Antiochena Synodus non poterat hanc vocem in sensu proprio acceptam damnare salvâ antiquorum authoritate. Verùm Paulus Samosatensis quasi eodem modo admitteretur à Catholicis vocabulum *Omousion* in Deo, sicût asseritur à Philosophis intèr individua unius speciei, tali argutatione Catholicam fidem quatere molitus est: *Omousios* ille est, qui spectat ad eandem speciem alterius, quos intèr eadem dividitur natura, si ergò Filius esset Persona distincta à Patre, eiquè *Omousios*, jàm scinderetur, ac divideretur Divina essentia, Igitur neq; Filius Persona est, neq; Patri *Omousios*. Ad haec quid rogo Antiochena Synodus? negat in Deo hoc sensu *Omousion*, id est, ut cogitabat Sabellianus, & quomodo *Omousia* dicuntur plura individua unius speciei. Constat id totum ex SS. Athanasio, & Basilio citatis.

Instabis: Si *Omousion* Sabellianum sensum pati potest, & naturae deflexum designare, jàm oportuniùs erat tale vocabulum reticere. Igitur restat difficultas.

℞. N. *Assumtum.* Quamvis enim Nicaeni Patres id perspectum haberent, tamèn vocem *Omousion* meritò, ac jure receperunt, *imo* quia *Omousion* partitionem naturae non significat nativâ, & propriâ vi, nequé ullus veterum hoc sensu illud vocabulum protulit unquàm, tametsi creatae res,

quae

quæ ad eandem ſpeciem attinent, *Omouſiœ* ſint cum ſectione ſubſtantiæ. *2do:* Quia Ariani fatebantur hoc vocabulo reverà ſignificari communionem naturæ, ſicuti poſteà conteſtati ſunt in ſua Antiochena Synodo ſub Joviniano teſtibus Socrate & Sozomeno. *3tio:* Quia Nicæni Patres omnem pravum ſenſum accuratè ab hac voce expunxerunt definientes: *Filium eſſe ex Patre unigenitum, id eſt, ex ſubſtantia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, demùm: Conſubſtantialem Patri;* Quibus omnem aditum Hæreticorum fallaciæ præcluſerunt, adeoqué meritò illam vocem non reticuerunt.

Objicies 4to: Antè Nicænam primam Synodum nullus præſertim ex Patribus *Omouſion* pronuntiavit, Ergò ritè à Nicænis Patribus Symbolo ſuperaddi non potuit.

℟. *Imprimis:* N. *Conſequ:* Cùm enim ſingulæ hæreſes novas Eccleſiæ quæſtiones intulerint, novas voces adhibere omninò oportuit, quibus adversùs impiorum, vafritiem diligentiùs Catholica veritas tueatur. *Deindè* N. *Ant:* Vocabulum enim *Omouſion* perantiquum eſſe, nec à Nicænis Patribus inventum vel ex eo commonſtrari poteſt; Nàm prætèr Ariſtotelem ab Anonymo citatum dicentem: *Omouſia de panta aſtra*, hoc eſt: *Omnia aſtra eſſe ejuſdem naturœ*, Author quæſtionum intèr Opera S. Juſtini ait: Animas habere ſibi *Omouſios tis te aggelos, chè tis demonas*, id eſt: *Conſubſtantiales Angelos, & dœmones.* Meminit etiàm hujus vocis Dionyſius Alexandrinus teſte S. Athanaſio, & illam Dei Filio tribuit. Tribuit paritèr Pamphylus Martyr in Apologia pro Origene, tribuit Tertulianus initio Libri 1. adversùs Praxæam. Tribuit author libri, qui inſcribitur: *Pomandris* ſub nomine Triſmegiſti, qui liber propè tempora Apoſtolorum conſcriptus eſt. Quid plura? Illud vocabulum perantiquum eſſe fatetur Euſebius in Epiſt: ad ſuos Cæſarienſes apud Socratem Lib: 1. hiſt: cap: 8.

Inſtabis: Apud antiquos ſcriptores originem habuit *Tò Omouſion* à Gnoſticis, ut Æonum ſuorum fabulam contexerent, Ergò quamvis illo uſi fuerint veterum aliqui, hoc tamèn in præſenti rem non conficit.

℟. Errare turpitèr Sandium, cujus eſt hæc inſtantia, ſiquidèm Gnoſtici ſuos Æones nequaquàm *Omouſios* credebant teſte S. Irenæo Lib: 1. cap: 1. de fabulis Valentinianis.

Inſtabis: Una eademq; numerò *Uſia*, ſivè eſſentia ſibimet ipſi dici non poteſt *Omouſia* ſivè *Conſubſtantialis*, Ergò immeritò Filius dicitur *Omouſion* Patri.

℞. N. *Consequ:* Non enim essentiam Filij, sed Personam dicimus consubstantialem; Essentiæ verò & Personæ diversam significationem esse, ipse Clericus non inficiatur, qui tale argumentum proponit.

Instabis: Veteres nomine *Usiæ* non significarunt quidquàm aliud,quam quod est particeps ejusdem speciei substantiæ, Ergò cùm Divina essentia nequeat habere rationem speciei, incommodè Symbolo intrusa fuit vox *Omousion*, & prætèr nativam, ac propriam suam significationem.

℞. D. *Ant:* Quatenùs *Usia* est essentia generalitèr considerata, & minimè definita, C. *Ant:* Secùs, N. *Ant:* & *Conseq:* Veteres igitur *Usias* nomine speciem intelligebant, & per *Omousion*, quod est particeps ejusdem speciei substantiæ, quatenùs *Usia* est essentia generalitèr considerata, & minimè definita: quemadmodùm Persona est id, quod componitur ex communi essentia, & ex notis quibusdam particularibus, sivè proprietatibus. Hæc *usia*, sivè dicas: hoc *esse* commune notis particularibus non definitum, in creaturis habet rationem speciei, & in singulis individuis multiplicatur, in Deo autèm est in tribus Personis penitùs quidquàm indistinctum; Quarè ejusdem speciei Divinæ Personæ dici nequeunt, & tamèn sunt *Omousæ*, cùm sint idem, ac simùl *Usia*.

Instabis: Quicquid in creaturis est *Omousion* in essentia, dividitur, & partitur, Ergò in Deo non est admittendum *Omousion*, nè in ipso aliqua sectio, sivè divisio admittatur.

℞. N. *Conseq:* Neq; enim nomina Deo & Creaturis communia, rerum, quibus imponuntur, omnimodam admittunt comparationem: Alioquin malè apellaretur Deus Pater, eo quod in creaturis, qui generat naturâ dividatur à Filio.

Objicies ultimo: Longè opportuniùs Patres Nicæni se gessissent, si Symbolo addidissent vocabulum *Omiusion*, quod significat *Substantiæ similem*. Ergò &c. Pr. *Ant:* Vocabulum *Omousion* tot & tantos tumultus in Ecclesia peperit. Igitur &c.

℞. N. *Ant:* Nàm quamvis etiàm nomine vocabuli *Omousion* Divinitas Verbi propugnaretur, cùm nulla creatura possit esse magis Deo similis, quam Verbum Divinum; Sed tamèn quia hoc veluti propugnaculo utebantur Semi-Ariani, ut *Omousion* excluderent, & suam perfidiam in eo absconderent,ideò aliquo sensu *Omiusion* erat omninò repudiandum. Neq; probatio primæ propositionis rem conficere potest; siquidèm proptèr Hæreticorum temerarios tumultus, Catholica veritas deseri atq; negligi non debet.

QUÆ

QUÆSTIO QUARTA

UTRUM PARTICULA *FILIOQ;* JURE SIT SYMBOLO INSERTA?

CUm tempore Nicænæ Synodi nondùm mota esset quæstio, ut ait S. Basilius Epist: 75. sed adhùc credentium mentibus securus, & nullis objectus insidijs, inesset de Spiritu Sancto intellectus, nihil de Spiritûs Sancti Divinitate, atq; processione Nicæni Patres statuerunt; Suborto verò postmodùm Græcorum schysmate, acceptâ occasione processionis Spiritûs Sancti, addita est Symbolo particula: *Filioq;* quam contrà Ephesinæ Synodi statuta insertam esse Græci conqueruntur. Hanc eorum vanam quærimoniam repellendam in præsentiarum suscipimus. Itaqué:

Dico: Optimo jure particulam *Filioq;* fuisse Symbolo insertam.

Probatur 1mo: Ecclesia ex tradita sibi à Christo Domino doctrina potest Symbolum condere, Ergò à fortiori jàm condito Symbolo potest veram, ac necessariam compositionem inserere. Atqui particula *Filioq;* est necessaria, & vera illius de Spiritu Sancto articuli: *Qui ex Patre procedit* expositio. Igitur *&c.* *Pr. Min: Subsumta quò ad 1mam partem:* Quando particula *Filioq;* inserta fuit Symbolo, nonnulli reperiebantur contendentes: hæc Constantinopolitani Symboli verba: *Qui ex Patre procedit* intelligi debere cùm exclusione Filij, ità ut Spiritus Sanctus à solo Patre procederet. Necessaria ergò erat expositio, quâ hujusmodi falso sensui obviaretur. Eadem *Min:* Quò ad alteram partem certa omninò est; Cùm omnes Theologi, & Ecclesiæ Patres (quod præcipuum est) illa de Spiritu Sancto exponentes verba: *Qui ex Patre procedit*, Filium nullatenùs excludant. *Pr. 1mum Ant: hujus argumenti:* Id omne potest Ecclesia, quod nullum Divinum jus vetat; Jàm verò condere Symbolum nullo Divino Jure Ecclesiæ inhibetur. Igitur *&c.* *Conseq: 1mi* Argumenti prono sequitur alveo: Plùs siquidèm est condere Symbolum, quàm jàm condito unam, vel alteram particulam superaddere; Jàm vero eum, qui potest plùs, quis inficiabitur, posse quoq; minùs?

Confirmatur: Id Ecclesia jure potuit facere eo tempore, quo particula *Filioq;* Symbolo inserta fuit, quod temporibus Conciliorum Nicæni primi, & Constantinopolitani itidem primi potuerat; Cum una quovis tempore ejusdem Ecclesiæ sit authoritas. Atqui temporibus Conciliorum Nicæni

1mi, & Conſtantinopolitani 1mi Jure poterat particulam *Filioq;* Symbolo inſerere. Ergò etiàm id Jure potuit poſt tempora illorum Conciliorum. Pr. *Min:* Eccleſia tempore Nicæni 1mi Concilij Symbolo inſeruit vocem *Omouſion*, ſivè *Conſubſtantialem*, tempore verò Conſtantinopolitani 1mi eidem Symbolo addidit articulum de Divinitate Spiritûs Sancti, qui in Nicæno Symbolo non legitur, dicens *Et in Spiritum Sanctum Dominũ & vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cùm Patre & Filio ſimùl adoratur, & conglorificatur;* Hocq; factum ipſi probant Græci. Sed nulla potior ratio præſtò eſt de particula *Filioq;* quàm de alijs particulis. Igitur *&c.*

Confirmatur: Eccleſia ea omnia poteſt Symbolo inſerere, quæ neceſſaria ſunt ad diſcernendos ab Hæreticis Catholicos; cùm Symbolum ſit veluti teſſera, quâ fideles diſtingvantur ab ijs, qui extrà Eccleſiam poſiti ſunt. *Deindè*: Eccleſia poteſt ea Symbolo inſerere, quorum profeſſionem poteſt ab Hæreticis ad Catholicam unitatem redeuntibus exigere. Atqui particula *Filioq;* potuit eſſe neceſſaria, quinimò & reipſa fuit ad diſcernendos ab Hæreticis Catholicos, poſt quàm proſcripſerit eos, qui Spiritum Sanctum à Filio procedere inficiabantur; Potuit deniqué fidei per talem particulam expreſſæ profeſſionem exigere ab Hæreticis ad Catholicam unitatem redeuntibus, ſuppoſitò, quod ſit hæreſis aſſerere: Spiritum Sanctum non procedere à Filio. Igitur *&c.*

Probatur 2do: Si particula *Filioq;* immeritò eſſet Symbolo inſerta, id vel ex eo, quod dogma de proceſſione Spiritûs Sancti à Filio falſum eſſet, vel quia in alijs Symboli verbis jàm virtualitèr continebatur. Atqui neutro ex capite prabatur hanc particulam temerè ſuperadditam fuiſſe. Igitur *&c.* Pr. *Min:* Non *1mum;* Etenim Spiritus Sanctus reverà procedit à Filio, cùm in Scripturis apelletur Spiritus Filij, juxtà illud ad Galatas cap: 4. *Miſit Spiritum Filij ſui in corda veſtra*, Et Actor: cap: 16. *Non permiſit Spiritus JESU.* Atq; Joan: cap: 14. *Spiritus Veritatis*, id eſt ipſius Filij, qui eſt via, veritas, & vita. Sed appellari nequit Spiritus Filij, niſi eo titulo, quatenùs à Filio procedat. Igitur *&c.* Pr. *eadem Min:* Fas eſt ea inſerere Symbolo, quæ virtute in alijs Sacris monumentis præcontinentur: Sicuti plura addita ſunt meritò etiàm Græcis fatentibus ad Apoſtolicum Symbolum, & ad libros Veteris Teſtamenti acceſſerunt libri novi Teſtamenti, ad unum Evàngelij textum tres alij, ad hos verò Apoſtolicæ Epiſtolæ, tametſi Fides *vg.* Nicæna virtualitèr præcontineretur in Apoſtolorũ Symbolo,

bolo, novum Teſtamentum in veteri, poſtrema Evangelia in priori, & Apoſtolica documenta in Parabolis, monitiſq; Evangelicis.

Objicies 1mo: Concilium tertium Generale, ſivè Epheſinum part: 1. Seſſ: 6. recitato Neſtorij impio Symbolo, definivit: *Expoſitionem alteram nullus faciat. Sufficiunt, quæ expoſita ſunt. Alteram expoſitionem non licet fieri.* Ergò additio particulæ *Filioq;* jure ac meritò facta non eſt, cùm eam Epheſina Synodus ſub anathematis pœna fieri prohibuerit.

℞. Admiſſo Concilij teſtimonio, D. *Conſeq:* Cùm eam Epheſina Synodus fieri prohibuerit authoritate Eccleſiæ. N. *Conſeq:* Athoritate privatâ, C, *Conſeq:* Licèt itaq; privati homines non poſſint reſcindere, aût mutare generalium Conciliorum Decreta, quæ diſciplinam reſpiciunt, ad quam reverà ſpectabat Epheſina prohibitio, de qua in hoc argumento agitur, id tamèn univerſalis poteſt Eccleſia, quotiès expedire judicaverit; Imò id quoq; poſſunt inſignes particulares Eccleſiæ, certis ac neceſſarijs occurentibus circumſtantijs. Hoc ſiquidèm diſcrimen eſt Decreta intèr, quæ fidem & mores, & quæ meram diſciplinam reſpiciunt: quod priora (cùm Eccleſia Deo major non ſit) mutationi non ſint obnoxia, alia èconträ pro varijs temporum, aût locorum circumſtantijs mutationem patiantur.

Inſtabis: Additio particulæ *Filioq;* eſt prolatio alterius fidei à Nicæna, eſtqué compoſitio formulæ prætèr Nicænam. Atqui Epheſina Synodus inhibuit prolationem alterius fidei à Nicæna, & compoſitionem formulæ prætèr Nicænam. Ergò talis additio nequé authoritate Eccleſiæ potuit licitè, ac jure fieri.

℞. D. *Maj:* Additio particulæ *Filioq;* eſt prolatio alterius fidei à Nicæna, eſtq; compoſitio formulæ prætèr Nicænam, ſi voces illæ: *alterius* & *prætèr* non ſumantur contrariè. C. *Maj:* Si ſumantur contrariè, N. *Maj:* In hoc ſenſu conceſsâ *Minori*, N. *Conſeq:* Synodus itaq; Epheſina prohibuit quidèm prolationem fidei, compoſitionemq; formulæ, quæ contraria eſſet ei, quæ in Nicæno Concilio propoſita eſt, ſed non prohibuit eam, quæ licèt addita Nicænæ, ei tamèn non eſſet contraria; Nàm Epheſinũ Concilium tale Decretum ſtatuit ratione Neſtoriani Symboli ſibi oblati, ad cujus normam Neſtorius recipi perperàm decreverat: eos, qui aût ex infidelibus, aût hæreticis Catholicæ Eccleſiæ nomen darent; In eo verò prætèr Neſtorij circà verbi Incarnationem errores, expræſsè etiàm aſſerebatur: Spiritum Sanctum nèc à Filio, nec per Filium procedere, qúâ

ratione

ratione illud Symbolum planè contrarium erat Nicæno Symbolo. Dùm ergò Ephesinum Concilium vetuit: nè quis aliam à Nicæna fidem componeret, intellexit fidem, quæ veluti Nestoriana, contraria Nicænæ foret. *Deindè* Charisius Præsbyter quidam ut se Ephesinæ Synodo Catholicum probaret, recitavit quoddam Symbolum, quod multis in capitibus idem non erat sivè cùm Nicæno, sivè cùm Constantinopolitano, & tamèn ob id ille Charisius non est à Sacra culpatus Synodo, nec id ullo impedimento fuit, quin ut Catholicus admitteretur, quod argumento est: non omnem additionem eô Decreto prohiberi, sed solùm eam, quæ contraria esset Nicænæ fidei.

Instabis: S. Cyrillus in Epist: ad Jòánnem Antiochenum, quæ incipit: *Lætentur Cœli*, sic loquitur: *Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo fides illa, sivè fidei Symbolum concutiatur, quod à Sanctis quondam Patribus Nicænis editum est.* Ergò illi Symbolo nulla omninò particula, nullâq; penitùs authoritate, jure addi potuit.

℟. N. *Conseq:* Nàm etiàm S. Cyrillus asseruit: non licere vel voculam quidèm Nicæno Symbolo addendam esse, vel detrahendam, quæ sit contraria Nicænæ fidei; Quod ex eo clarum est: Quia S. Cyrilli tempore, ac alijs etiàm sequentibus temporibus, usus invaluerat dicendi: Nihil, nè voculam quidèm in Nicæno Symbolo mutari debere, etsi fieret additio alicujus articuli, qui cùm Nicæna fide cohæreret, & à fortiori, qui ex ea colligeretur. Idq; facilè ostenditur ex confessione fidei Episcoporum Orientalium, quam S. Cyrillus probat Epistola ad Joannem Antiochenum, ex qua desumtus est textus nobis objectus.

Objicies 2do: Actione 2. Chalcedonensis Concilij, cùm à Judicibus rogarentur Patres, ut exponerent fidem, responderunt: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est, quæ prædicat, sufficerè quæ sunt exposita. Regula vult aliam expositionem non fieri. Ea quæ sunt Patrum, teneantur.* Similitèr septima Synodus generalis, sivè Nicæna altera pòst fidei definitionem hæc habet: *Nos leges Patrum custodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* Ergò nunquàm jure ac meritò superaddi Symbolo potuit particula *Filioq;*

℟. N. *Conseq: & dico:* Illa Concilia tantummodô sanxisse, nè quis privatâ authoritate novum Symbolum conderet (quomodò Nestoriani, alijq; Hæretici facere consveverant) præsertim ubi nulla adesset necessitas,

sicuti

ſicuti tùnc nulla reverà fuit in Eutychetis cauſa, quæ in Chalcedonenſi Concilio tractabatur, cujus error apertè à Nicæna Synodo damnatur, à qua Filius & Patri conſubſtantialis dicitur, & verus homo, ideò duplici naturâ conſiſtens. Neq; illi Patres hâc de causâ novum Symbolum, ut Judices poſtulabant, edere voluerunt, quod nullâ ad id compellerentur neceſſitate. Cæterùm illi Patres affirmarunt: Symbolū cùm aliqua additione rectæ fidei conſona non eſſe *alteram fidem*, cùm in allocutione ad Imperatores conteſtati ſint, expoſitionem Leonis Papæ non eſſe *alteram fidem*, ut quidam abloquebantur.

Inſtabis: Additio hujus particulæ *Deipara* Symbolo facta non fuit à Patribus Epheſini Concilij, quamvis apta eſſet contrà Neſtorianam hæreſim. Neq; paritèr hanc particulam addiderunt Patres Chalcedonenſes, quamvis actione 5tâ nonnulli exclamarent: *Addetur ad Symbolum, Sanctam Mariam eſſe Deiparam.* Ergò perſvaſum habuerant illorum Conciliorum Patres, prohiberi omne ad Symbolum additamentum, quâcunq; etiàm accedente neceſſitate.

℟. N. *Conſeq:* Siquidèm Beata Virgo Maria & *Chriſtipara* eſt & *Deipara*, peperit enim Chriſtum Dominum. Sed quoniàm impius Neſtorius illam Dei Matrem eſſe negabat, eamq; ſubdolè appellabat *Chriſtotocon*, & ex adversò Eutyches *Deiparam* ſivê *Theotocon* nominabat, ut doceret: eam peperiſſe Chriſtum quantùm ad Divinam naturam, hac de cauſa in Symbolo nequé *Deipara* nominata eſt, neq: *Chriſtipara.* Non *Deipara* proptèr errorem Eutychetis, non *Chriſtipara* proptèr hæreſim Neſtorianam.Neq; poſteà ad fidei confeſſionem videbatur hæc particula neceſſaria: Quando-quidèm Chriſtum eſſe Deum expreſsè continebatur in illo articulo: *Et in unum Dominum, &c.* & Beatam Virginem hunc Deum peperiſſe ſatis explicabatur in altero: *Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus eſt.* Ceterùm ſi Epheſini Patres hanc particulam addere Symbolo voluiſſent, quomodò Nicæni inſeruerunt *Omouſion*, nemo poterat id impedire.

Objicies 3tio: Agatho Papa in ſua Epiſtola, quæ lecta fuit actione 4ta ſextæ Synodi,& Vigilius Papa paritèr in ſua Epiſtola ad Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum prohibent abſolutè, nè quid Symbolo addatur, vel minuatur. Igitur *&c.*

℟. Et horum Pontificum eodem modo,quo ſuprà, teſtimonia explicanda

ſunt,

ſunt, videlicèt: de additione fidei contraria, ob quam ſivè dogma de duplici in Chriſto voluntate propugnata ab Agathone, ſivè fides de futura corporum reſurrectione aſſerta à Vigilio poſſet quoquô modô elevari. Etenim Agatho Symbolum & ipſe conſcripſit, in quo plura exſtant prætèr Nicænum, & fit manifeſtum ex 7ma Florentini Concilij Seſſione, conſequentèr omnem abſolutè additionem vetare ipſe non poterat. Articulus verò de futura reſurrectione corporum, quem Vigilius jubet, nè ullatenùs immutetur, jàm in Symbolo Conſtantinopolitano, actione 5tâ Chalcedonenſis Concilij probato, erat ſufficientèr expreſſus.

Objicies ultimò: Leo 3tius Romanus Pontifex noluit hujus particulæ *Filioq;* additionem anno octingenteſimo nono ullâ ratione probare, quàmvis id poſtularent Legati Synodi Aquiſgranenſis à Carolo Magno ad Leonem miſſi, in qua Synodo famoſa de Spiritûs Sancti à Filio proceſſione controverſia eliquata fuerat. Ergò *&c.*

℞. N. *Conſeq:* & *dico:* Leonem Pontificem optimum jure ac meritò ſe antiquitatis tenaciſſimum præbuiſſe, ac Legatis Aquiſgranenſibus hâc in parte reſtitiſſe, prudentèr enim id, magnâ cautione ſumendum eſt, nè omnia promiſcuè, temerèq; miſceantur. Itaq; non de ipſo particulæ *Filioq;* additamento controverſia mota erat in Gallijs, nec de illa particula retinenda, aùt expungenda conſulebatur Pontifex Maximus, ſed de additamento publicè in Eccleſia Gallicana decantando, propterea quod alijs in Eccleſijs additamentum illud tametſi jàm factum & probatum, non tamèn publicè cum reliquo Symbolo cantaretur. Idqué conſtat ex ipſis Legatis ad Leonem 3tium à Carolo Magno miſſis, qui cùm probari à Pontifice audijſſent particulam *Filioq;* Symbolo additam, & Spiritûs S. à Filio proceſſionem agnoſci ab eodem uti fidei caput, ſolumq; prohiberi, nè publicè Symbolum eâ adjunctâ particulâ decantaretur, reſponderunt Pontifici: *Si ergò ità eſt, ſi ità credere non oportet, Spiritum Sanctum à Filio procedere, cùr non licet cantare, aùt cantando docere?*

Dices: Quorsùm porrò Romanus Pontifex tantam difficultutatem Gallis interpoſuit, nè particula, quæ licitè Symbolo addita fuit, publicè decãtaretur

℞. Hoc ideò factum eſſe: Quia Galli hanc ſibi inducendæ novæ diſciplinæ licentiam proprio marte, propriâq; authoritate arrogaverant; Cùm enim à Leone III. veniam pridèm obtinuiſſent, Nicænum, ſivè Conſtantinopolitanum Symbolum, intèr media ſacra publicè decantandi, ji fas ſibi exiſtima-

existimarunt particulam *Filioqué* quam huic Sym bolo subindè additam noverant, una cum reliquo Symbolo decantare. Quod pati omninò noluit Sanctissimus Pontifex, nè ab aliarum Ecclesiarum disciplina Galli deflecterent; Hispani enim ab anno quingentesimo octogesimo nono, Symbolum intèr Missae solemnia decantabant, minimè tamèn cùm adjuncta particula *Filioq;*

Instabis: Idèm Leo III. ut illustri & perenni monumento posteris significaret suam de Symbolo Constantinopolitano existimationem, duas argenteas tabulas ad confessionem S. Petri affigendas curavit, in quarum altera illud Symbolum Latinè incideretur, in altera vero Græcè absqué aliquo particulæ *Filioq;* additamento. Sed hoc non alia ratione fecisse est existimandus, nisi quia putaverit, etiàm authoritate universæ Ecclesiæ non posse illam particulam Symbolo superaddi. Ergò *&c.*

℟. N.*Min:* Longè enim alio consilio id fecit optimus Pontifex Leo III. quàm ut additam particulam *Filioq;* reprobaret. Quis enim id credat? Cùm Romani Pontifices etiàm pòst Leonis III. tempora, quos intèr Nicolaus Imus, hoc idem Symbolum eâ particulâ auctum tenuerint, atqué probaverint, uti testis est Photius in Epist: eidem Nicolao inscriptâ. Eas ergò incidi Laminas jussit Leo III. ut Sacro illo monumento in posterum constaret, quale primitùs Constantinopolitanū Symbolum exstiterit, utq; suus etiàm huic Symbolo primigenio honor in Ecclesia servaretur. Atq; vel maximè nè Græci Latinis objicere possent: ab eis improbari atq; contemni, uti minùs accuratum, ac notabilitèr diminutum antiquorum Patrum primigenium Symbolum, quod novis additamentis resarciendū, atq; amplificandum judicarunt. Hæc vero Græcorum de Latinis suppositio tùm falsa est, quàm quoq; maximè; Nàm neq; Apostolorum Symbolum improbare voluêre Nicæni Patres, dùm ei nonnulla de Christi Divinitate aliquantùm explicatiora addenda judicârunt; Neq; paritèr Nicænū Symbolum flocci existimarunt Constantinopolitanæ Synodi Patres, dùm illud novis ex novorum hæresum occasione additamentis amplificârunt.

Ad solvenda quæcunq; alia in hac quæstione argumenta, adnotare placuit: Additionem triplicis generis esse: *Una*, quandò additur contrarium, & est crimen hæreseos, *Altera*: quandò additur diversum ac disparatum, & temeritatis nota est. *3tia*, quandò additur quidpiam consonum, & talis addita expositio veritatis est. Hæc verò intellige de additione alicujus fidei Symbolo.

Ad complementum hujus celeberrimæ Controversiæ inquirere solent Historico-Critici Theologi: Quandonàm, & à quibus particula *Filioq;* Symbolo addita fuerit? Quod in re Critica & historica obscurissimum ænigma est. Doctor Angelicus 1. par: quæst: 36. artic: 2. ad 2. inquit: *Posteà insurgente errore quorundam, in quodam Concilio in Occidentalibus partibus congregato, expressum fuit authoritate Romani Pontificis.* Quibus verbis dùm de particula *Filioq;* loquitur, nèc errorem, occasione cujus facta additio est, nominat, nec Concilium distincto nomine notat, nec Pontificem, quo svadente facta res est,ex nomine designat,quæstionem nobis enodatã non reddit,quin potiùs ænigma proponit eruditis exponendũ & enodandũ

Clarissimus Gaspar Iveninus gloriatur se quidpiam horum invenisse,dùm liberè pronuntiat: In Hispaniarum Ecclesijs particulam *Filioq;* insertam Symbolo fuisse sexto Ecclesiæ labente sæculo, apud Gallos, & Germanos octavo, & tandèm in Ecclesia Romana desinente nono. Verùm & illius utcunqué accuratæ probationes pòst se multas difficultates relinquunt. Quarè nondùm à Viris eruditis istud ænigma enodatum est. Cæterùm quandocunqué, & à quibuscunq; controversa particula Symbolo addita fuerit, eam tamèn jure ac meritò contrà Schysmaticos Græcos insertam fuisse, satis ut opinor ostensum manet.

QUÆSTIO QUINTA

UTRUM SYMBOLUM QUOD S. ATHANASIJ DICITUR, IPSIUS FÆTUS REVERA SIT?

SEnsus præsentis quæstionis de se clarus est, inquirimus videlicèt: Utrum illud Symbolum: *Quicunq; vult salvus esse* reverà sit conscriptum à S. Athanasio Alexandrino Episcopo, qui quarto Ecclesiæ sæculo tantâ constantiâ adversùs Arianos verbi Divini consubstantialitatem in Nicæno primo Concilio assertam defendit? Omnes ferè ex antiquioribus Scriptoribus, putant Athanasium Alexandrinum reverà esse authorem Symboli, quod ejus nomine communitèr insignitur. Recentiores verò Viri Criticæ scientiæ peritissimi, quos magnô numerô nostra hæc ætas tulit, summâ consensione definiunt istud Symbolum S. Athanasij fætum non esse. Sunt quoqué non pauci, qui tàm affirmantis, quàm negantis

ſententiæ propoſitis argumentis, rem indefinitam omninò relinquunt, cùm tali tamèn ut plurimùm inditio, quod antiquorum ſententiam penitùs reddit dubiam, nè dicam omninò deſperatam.

Dico: Symbolum quod Sancto Athanaſio Alexandrino Antiſtiti tribuitur, reverà non eſſe ipſius fætum, ſed cujuſdam admodùm Recentioris Scriptoris. Hanc Theſim validiſſimis argumentis defendunt Viri clariſſimi Gaſpar Ivenin: & Hyacinthus Serry alios intèr, cùm quibus:

Probatur 1mo: Nullus veterum Patrum, & Eccleſiaſticorum Scriptorū S. Athanaſio coævus, aùt ſuppar, talis Symboli ſub nomine Athanaſij vel obitèr meminit, quamvis hujus in medium proferendi commoda ſe dabat occaſio, Ergò *&c.* Pr. *Ant:* S. Gregorius Orat: de Laudi: Athanaſij ubi adornatas ab eo lucubrationes diligentiſſimè memorat, nec verbum quidèm de hoc Symbolo facit; Id præſtiterunt omnes alij Eccleſiaſtici Hiſtorici, qui primis Eccleſiæ ſæculis Athanaſianorum operum indicem poſteris reliquerunt. Nullum illius Symboli Græcum exemplar inventum eſt. Omnes S.Athanaſij operum codices tùm Græci,tùm Latini numerô viginti quinq; quos Patres Benedictini Galli de re Literaria optimè meriti ad novam curandam editionem ſummâ diligentiâ conquiſiêre, illud Symbolum minimè repræſentant. Perpetuum quoq; eſt de hoc Symbolo ſilentium Latinorum contrà Græcos pòſt Schyſma Photianum uſqué ad Gregorij noni tempora de proceſſione Spiritûs Sancti diſceptantiū. Atqui ſi pro certò creditum fuiſſet, Symbolum hocce S. Athanaſij eſſe, eo telo Latini Græcos ſine dubio petijſſent, idqué ob ſummam S. Athanaſij in utraq; Eccleſia authoritatem. Igitur *&c.*

Confirmatur: Antè annum milleſimum nullus ſcriptor Symbolum, de quo eſt quæſtio, tribuit S. Athanaſio, ſed primus, à quo id factum fuit, eſt Abbo Floriacenſis Abbas,qui anno milleſimo, & deinceps vixit. Ergò *&c.*

Probatur 2do: Ratio temporum repugnat, quo minùs hoc Symbolum D. Athanaſio Alexandrino adſcribatur. Ergò illius fætus eſſe non poteſt. Pr. *Ant:* Hujus Symboli author (quisquis tandèm ille ſit) fidei profeſſionem edidit, eam diſtinctiſſimam, & explicantiſſimam adversùs nonnullas hæreſes, de quibus nihil unquàm D. Athanaſij ætate auditum fuerat. Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Floruit D. Athanaſius vertente ſæculo 4to, extremumqué diem clauſit ſub Valente Imperatore anno circitèr 370. Neſtoriana verò, & Eutychiana hæreſes annis ampliùs centum pòſt D. Athanaſij

nasij obitum in Ecclesia emerserunt, quorum primi Christum impiè dividebant, duas in eo Personas admittendo, Divinam scilicèt & Humanam, Eutychiani versâ vice binas naturas sacrilegè confundebant, unamq; in alteram conversam, Divinam nempè in Humanam effutiebant. Atqui Symbolum, de quo agitur, fortissima suppeditat arma ad tuendam verbi Incarnationem contrà Nestorianos, & Eutychianos; Imò etiàm adversùs negantes Divinitatem Spiritûs Sancti, de qua D. Athanasij temporibus nullus hominum dubitavit. Igitur *&c.*

Confirmatur: Nullus ex Patribus, à quibus præfatæ hæreses impugnatæ sunt, desumsit testimonium ex præfato Symbolo ad tuendam Catholicam fidem. Atqui si tunc jàm tale Symbolum conscriptum fuisset, nullus tàm aptissimô præsidiô carere voluisset, imò nec debuisset. Igitur *&c.* Hinc primi, qui argumentum ex hoc Symbolo desumsêre, sunt Rodulphus, & Haymo ex nostro Minoritico Ordine, & Hugo, ac Petrus ex Ordine Prædicatorum, cùm anno 1233. ad Græcos Latinis conciliandos à Gregorio IX. Legati missi fuissent.

Probatur 3tio: S. Athanasius in Epistola ad Antiochenses satis apertè significat, se à nova condenda fidei formula procùl abesse, & Nicænæ Synodi Symbolum suis omnibus numeris absolutissimum fuisse contendit. Ergò ex illius vena tale Symbolū minimè prodijt. *Deindè* Illis temporibus aliud Symbolum ultrà Nicænum condere, mali ominis erat, maliq; consilij, ac turbulenti dumtaxàt ingenij, quod soli Ariani per summum nefas in suis pseudo-Synodis attentabant. Ut quid ergò S. Athanasium id attentasse existimabimus?

Reponunt aliqui: Symbolum illud nec novum, nec à Nicæno distinctum dici potest, sed solùm ejusdem apertior expositio, cùm ejusdem fidem explicatiùs aperiat. Ergò potuit tale Symbolum ab Athanasio Alexandrino conscribi. Verùm & hoc ipsum attentare eâ temporum ætate illicitum erat, nè videlicèt obtentu exponendi Nicæni Symboli sub specioso verborum apparatu, subtiliores errores obreperent, idq; unum erat, quod Ariani reclamantibus Nicænæ fidei Professoribus attentabant, cùm palàm œcumenico Concilio refragari non auderent. Quarè qui tale subterfugium obtrudunt, satis significant se in Ecclesiastica Historia esse peregrinos.

Reponunt iterùm: Illam lucubrationem instàr Symboli ab Athanasio editam non esse (nè scilicèt contrà Nicæni voluntatem quidpiàm attentaret) sed instar fidei Regulæ, aùt Fidei professionis. Sed

Sed *Risum* supèr hoc Responso *teneatis Amici*; quasi vērò aliud sit fidei regula, atq; ejusdem professio, aliud verò Symbolum. Et certè si mutato nomine fidei regulas, & professiones edere, tunc temporis licuisset, nemo sanè Arianorum præsertim fuisset, qui tali speciosâ arte Concilium prohibitioni non illusisset; reposuissent enim ipsimet Ariani, se non nova Symbola, sed fidei regulas, & professiones edere, atqué interim stolido illo aucupio virus suum simplicibus propinassent, suasqué fraudes hâc unâ hominum mutatione cumulassent.

Probatur 4to: Primigenius stylus, nativusq; sermonis contextus, quo illud Symbolum exaratum est, conclamat ex D. Athanasij ipsum minimè effluxisse vena, Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Illud Symbolum Græci hominis, qualis fuit S. Athanasius, non est, siquidèm non modò Latinum est, sed & Latinam originem redolet, adeoq; ut nè quidèm ex Græco idiomate Latinè redditum credi possit. Ergò *&c.* Pr. *Ant:* Illud Symbolum Græcæ phrasis nihil habet, imò abundat idiotismis Græcam originem refugientibus, qualis est, *vg.* accurata illa distinctio intèr Personam & substantiam à Græcis Patribus ignorata: *Non confundentes Personas, neq; substantiam separantes*, qualis est illa concina, & accurata gradatio de Spiritu Sancto: *Non factus, nèc creatus, nèc genitus, sed procedens*, quæ Græco idiomate vix fieri potest. Igitur *&c.*

Respondent Adversarij: Potuisse S. Athanasium Latinam lingvam cùm suis idiotismis addiscere, illo biennio, quo Treviris vixit, atqué dùm profugus Romæ, Mediolani, & Aquilejæ egit.

Verùm parùm verò simile est S. Athanasium provectâ jàm, uti erat, ætate, & longè alijs, ac melioribus curis occupatum, hunc laborem peregrinæ addiscendæ Lingvæ subjisse, idqué præsertim nullâ cogente necessitate; Cùm & Romæ, & ubiq; in Italia copia virorum esset, qui Græcè scirent, adeò ut Athanasio ad mutuos conferendos sermones Latinâ lingvâ non esset opus, dùm ijs in Regionibus versaretur. Sed etsi Latinè didicisset Athanasius, difficilè tamèn creditu est, eum ità perfectissimè hanc lingvam scivisse, ut nullus in Latina scriptione Græcismus ei excideret, ut reverà in eo, quod expendimus, Symbolo nullus est. His adde: nullum aliud S. Athanasij certum opus Latinè scriptum exstare. Tandèm incredibilè prorsùs est, illum Athanasium, qui acerrimus sempèr fuit Nicænæ fidei defensor, prætermittere voluisse in suo Symbolo vocem

Omou-

Omousion, seù *Consubstantialem*, quàm Nicæni Patres ad Arianam heresim penitùs profligandam eorum Symbolo inserendam existimârunt.

Probatur 5to: Nulla fuit causa S. Athanasio scribendi aliquod speciale Symbolum. Igitur tale Symbolum ille non scripsit. Pr. *Ant:* Non quidèm, ut coràm Julio Papa, ad quem Orientales illius causam detulerant, se purgaret; Etenim tùnc Orientales sub obtentu doctrinæ fidei Athanasium non persequebantur, sed eum variorum criminum insimulabant, quod videlicèt illius in Alexandrinum urbem reditus plures hominum cædes causasset, quodq; à Synodo damnatus, nec per aliam Synodum restitutus, sedem contrà Canones recepisset. *Præterea* Si Romæ Athanasio necessè fuisset suæ fidei rationem Julio reddere, non ob id condidisset Symbolum, cùm satis superq; fuisset Nicænum ptoferre & profiteri, præsertim cùm unanimis esset Catholicorum consensus, non expedire nova post Nicænum edere Symbola. Ergò *&c.*

Confirmatur: Nihil adeò apud Criticæ scientiæ peritos fabulam olet, quàm in aliqua texenda narratione scriptorum dissensio. Sed qui istud, de quo quæstio est, Symbolum S. Athanasio tribuunt, non conveniunt intèr se, quo loco, quave occasione illud ediderit, idqué nonnisi fabulas quilibet ipsorum narrat. Ergò *&c.* Pr. *Min:* Sunt qui illud Symbolum à S. Athanasio Romæ editum volunt, & Julio I. Romano Pontifici oblatum conjiciunt. Sed hujus narrationis in substantia ostensa est ab initio istius probationis. Quidam verò autumant Treviris illud Symbolum scripsisse Athanasium, illicqué puteam ostendi dicunt, ubi ob Arianorum insidias latitaret, suumq; Symbolum scriberet. Atqui hoc omninò fabulosum est. Igitur *&c.* Pr. *hæc Min:* Treviris honore exceptus est S. Athanasius, nèc ut exul, sed uti Confessor, idqué cùm Episcopus Trevirensis tunc esset S. Maximinus Arianorum acerrimus hostis, & Nicænæ fidei Deffensor egregius. Imò & Constantinus Imperator illùc Athanasium miserat, ut illum Arianorum furori subduceret; Hinc omnes Ecclesiastici Scriptores: Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Metaphrastes, Trevirensis putei latebras, suo silentio veluti insulsam fabulam revincunt. Ergò *&c.*

Nequé est cùr dicas: Ruffinum Lib: 10. histor: cap: 18. scripsisse: S. Athanasium sex annis continuis, ità latuisse in lacu Cisternæ non habentis aquam, ut solem nunquàm viderit.

Nàm imprimis hoc in Ægypto factum esse narrat Ruffinus, & non Treviris,

viris, nèc tempore Constantini Magni, sed Constantino Juniore jàm interempto, cùm Constans Occidentis, Constantius verò Orientis Imperium teneret. *Deindè* Latebras S. Athanasij in cisternæ lacu ad incertam fabulam Ruffinus ipse refert, non uti rem certissimam prodit.

Neq; valet ultimum adversæ partis effugium, dùm Adversarij se invenisse causam gloriantur, ob quam S. Athanasius illud Symbolum condidit, dicentes: Cùm ab Imperatore Joviniano occasione plurium novatorum, qui tùnc grassabantur, de fide quæsitus fuit Athanasius, eo temporis contendi Symboli occasionem sumsit. Etenim ad Jovinianum non aliud, quàm Nicænum Symbolum miserat Athanasius; Sed cùm satis non esset Joviniano, ut aliquorum ab Arianis hæreticorum, qui tùnc non pauci erant, errores agnosceret, illud Nicænum Symbolum insencit Epistolæ, quàm Joviniano suo, & illustrium Thebaidos, & Lybiæ Episcoporum nomine subscriptam dedit, additis etiàm pluribus, quibus defendit Deitatem Spiritûs Sancti, quam jàm tùnc impugnabant Ariani, quæqué posteà à Macedonio apertiùs impugnata est.

Objicies 1mo: S. Gregorius Nanzianzenus Oratione de laudibus D. Athanasij habitâ, illum summopere commendat, propterea quod veritatem de Spiritûs Sancti Divinitate apertis verbis promulgaverit primus cum paucis alijs, hancq; confessionem Juliano (sivè ut alij dicunt) Joviniano Imperatori obtulerit. *2do:* S. Augustinus enarrat: supèr Psal: 120. exponens illa Psalmistæ verba: *Per diem sol non uret te,* ait: *De hoc sole Pater Athanasius Alexandrinus Episcopus ità pulchrè loquutus est: Filius inquit: à Patre solo est, non factus, nèc creatus, sed genitus,* quæ verba in hoc Symbolo continentur. *3tio:* S. Hilarius *in fragmentis* hoc Symbolum, de quo quæstio est, S. Athanasio tribuit. Frustrà ergò tale Symbolum S. Athanasio abjudicatur.

℞. Ad *1mum:* Undè habent Viri boni, illam confessionem de Spiritûs Sancti Divinitate Juliano sivè Joviniano Imperatori oblatam à S. Athanasio, illud ipsum fuisse Symbolum, de quo nobis est disputatio? Id profectò tàm falsum est, quàm quod maximè. Quid ergò erat? dicam brevitèr: Epistola Synodica erat ab Athanasio scripta suo nomine, & Episcoporum Ægypti, Thebaidas, & Lybiarum, quæ & Nicænum Symbolũ complectebatur, & alia nonnulla ad Pneumatomachorum hæresim oppugnandam documenta. En ergò Athanasij scriptionem à Sancto Gregorio

Nanzi-

Nanzianzeno commendatam,non Symbolum,de quo disputamus. Et reverà S. Athanasium misisse confessionem Nicænam cùm sua Epistola testantur Theodorethus Historiæ Eccles: Lib: 4. cap: 3. & Nicephorus Lib: 10. cap: 42. Idq; juxtà circumstantiæ necessitatem, siquidèm negantes vocem *Omousion* solo Nicæno Symbolo refelluntur, & qui in Spiritum Sanctum loquuntur blasphemiam, citatâ Epistolâ refutantur.

Ad 2dum dico: Legite per me S. Augustinum, ac relegite ejus in Psalmos Commentaria, enarrationem in Psal: 120. diligentiùs percurrite, & dispungite minutatim, vestrum genium ratum omnibus erit, remq; contrà nos conficiet,si vel Athanasiùm appellatum ex nomine,vel ea verba perperàm S. Augustino affićta admotis acutissimis licèt perspicilijs,invenietis. Accipite S. Augustini germana eo loci verba: *Alium solem fecit Deus, qui oritur supèr bonos, & malos, istum quem vident & boni, & mali: alius est ille sol, non factus, sed genitus, per quem facta sunt omnia.* Ubi nàm appellatum hic magni Athanasij nomen, aùt integra ex ejus Symbolo phrasis transcripta? Sed quid mirùm ubi germana Patrum testimonia pro adornanda Athanasiani Symboli assertione minimè suppetunt, spuria proferuntur?

Verùm mitiùs cùm Adversarijs agentibus nihil vetat respondere: S. Augustinum ea verba, eamqué sententiam mutuari potuisse ex alijs à Symbolo S. Athanasij operibus, ex quibus dubium non est, quin etiàm laudati Symboli author (quis quis ille sit) multa depromserit.

Instabis contrà primam ad S. Augustinum responsionem: Macedo sivè Macedus gloriatur se hujus loci S. Augustini diligentèr quæsivisse authoritatem, & tandêm deprehendisse, hunc textum exstare in Augustiniana editione antè Basilieensem, non quidèm in commentarijs in Psalmos,sed in 1mam Epistolam S. Joannis, ubi S. Doctor præfatum versum Psalmi producit. Ergò non est illud testimonium S. Augustini rejiciendum veluti omninò spurium.

℞. N. *Conseq:* & *dico:* Nullibi omninò apud S. Augustinum illa verba legi, adeoq; etiàm codici, quem vidit Macedo, à Sciolo ammanuensi fuisse assumta, vel inserta ex marginis adnotatione. Idqué satis liquet ex optimorum manuscriptorum collatione, ex parenthesi hunc textum intercipiente, & ex ipsius Macedi hæsitatione, qui demùm ait: *Videbatur additus veteri editioni.*

Ad 3tium repono: Nihil omninò hujusmodi est in *Fragmentis* D. Hilarij,

sed

sed omnia pro arbitrio, sine Criterio Viri minùs cauti miscuerunt, ut sua figmenta novis figmentis obducerent. Tota res ità se habet: Librum Fragmentorum edidit D. Hilarius ità dictum, quia in eo multa fragmenta congessit ad Arij damnationem attinentia, momenta Nicænam fidem exprimentia multa contulit; indeq; effectum est, ut qui deinceps sequutis temporibus illa fragmenta manu transcripserunt, alia etiàm ad idem institutum facientia, & ea intèr illud Symbolum, de quo agimus, ad Hilariani operis calcem addiderint. Sunt ergò hæc additamenta recentiorum scriptorum, non Divi Hilarij collectanea. Undè nec in antiquis, sed recentioribus dumtaxàt codicibus continentur. Ità nos præmonuerunt Doctissimi Viri, Nicolaus Faber, & Patres Benedictini Galli, qui castigatiores S. Hilarij editiones nuperrimè curaverunt. Itaq; boni Viri adversarij nostri, qui nullo præmisso debito Criterio Patrum Ecclesiæ codices non tàm legere, quàm perfunctoriè lectitare solent, omnia hæc promiscuê confuderunt, & illud Symbolum recenti manu Hilarianis fragmentis assumtum, veluti ab Hilario reipsâ scriptis suis insertum opinati sunt, nobisqué tanti Viri suffragium, quasi vidente Minerva, ac secundo favente Mercurio venditarunt. Ità alios intèr recentes acutissimos criticos, Pater Hyacinthus Serry.

Objicies 2do: Nihil omninò vetat Divum Athanasium, ut erat optimè doctus, & in Sacrarum Scripturarū doctrina versatus, posteriorum etiàm sæculorum hæreses in antecessum præcavisse, atq; anticipatò occupasse, & Sacra fidei dogmata ijs hæresibus adversa scriptô signasse, atqué firmasse, Ergò reverà fuit author illius Symboli, quo Nestoriana & Eutychiana hæreses, quæ centum plùs minùs annis pòst Athanasium emerserunt. *Ant: patet.* Multi siquidèm alij Patres id ipsum fecerunt, qui plura anticipatò scriptis reliquerunt, quibus posteriorum sæculorum hæreses occupantur.

℞. D. *Ant:* Quò ad substantiam dogmatis, C. *Ant:* Cum sua probatione, ijs adhibitis verbis, ac vocibus, quæ posterioribus tantùm sæculis à Catholica Ecclesia sunt adhibitæ. N. *Ant:* & *Conseq:* Possunt equidem Ecclesiæ Patres superioris ævi, potuit & S. Athanasius posteriorum sæculorum hæreses anticipatò occupare, atqué refellere quantùm ad substantiam dogmatis, minimè tamèn præstare id possunt usurpatis, affectatis, & studiosè adhibitis illis verbis ac vocibus, quæ posterioribus dumtaxàt

à Catholica Ecclesia sunt adhibitæ, ac etiàm consecratæ ad illos ipsos damnandos errores: Sic *vg.* potuerunt Ecclesiæ Patres Arianâ hæresi superiores, scriptis ab se se edictis hanc ipsam hæresim anticipatò occupare, refellere, impugnare, quò ad dogmatis substantiam, nempè Christi Divinitatem asserendo, ac vindicando, quam subindè Ariani negavêre; Verùm id præstare non potuerunt usurpatis, affectatis, ac studiosè adhibitis illis verbis, ac vocibus, quæ nonnisi pòst exortam Arianam hæresim ab Ecclesia sunt usurpatæ, adinventæ, ac veluti consecratæ ad eandem hæresim profligandam. Jàm verò Author Symboli, de quo est quæstio, fidei professionem edidit adversùs hæreses Nestorianam, & Eutychianam, easqué anticipatò occupat, & impugnat non modò quò ad dogmatum substantiam, sed illas ipsas voces affectat, atqué usurpat, quæ nonnisi obortis Nestorianis, & Eutychianis in usu esse cæperunt.

Objicies 3tio: Communis est sensus Scriptorum, qui decimo sæculo floruerunt, & aliorum benè multorum, quorum difficilè est inire numerum, testantium Symbolum, de quo disputamus, esse genuinum opus S. Athanasij Alexandrini. Quibus addendi sunt Romanæ Ecclesiæ hostes Valentinus Gentilis, & Sociniani complures, qui ignominiæ causa audactèr illud apellitant Symbolum *Satanasij.* Imò & ipsi Græci refractarij, quorum de S. Athanasio perfida calumnia est: Illum videlicèt ebrium tale Symbolum scripsisse, ipsi hoc opus non abjudicant. Ergò S. Athanasium hoc Symbolum agnoscit pro authore.

℞. N. *Conseq:* Omnes siquidèm isti juniores sunt, & magna ex parte callidi Ecclesiæ hostes, cùr ergò spretis antiquiorum testimonijs, & despectis Catholicorum Virorum fundatissimis rationibus, ad malæ & perversæ fidei homines suffragium confugere necessè est. Hoc ipsum adversariorum causam prodit omni spe esse destitutam. Quod verò Græcos attinet, illiterati ut plurimùm oppositæ sententiæ vindicibus utiqué favent, nonnulli tamèn acutiores pugnacitèr negant illud Symbolum esse Athanasij, ut Meletius Alexandrinus apud Vessium Lib: de Symbolis c. 20. Quinimò jàm intèr omnes convenire, quod illud Symbolum falsò præferat nomen Athanasij testis est Dupinius Tom: 2. pag: 71.

Instabis: Petrus Felcmanus Coronæus in variantibus Athanasij Lectionibus testatur se tandèm incidisse in codicem Bibliothecæ Palatinæ, in quo Athanasij istud Symbolum dicitur. Cui addendum est antiquissimum

manu-

manuſcriptum Bibliothecæ Vaticanæ, & pervetuſtum codicem Germanenſem Lutetiæ Pariſiorum exſtantem, Ergò in Catholicorum quoq; Virorum antiquis monumentis, Symbolum, de quo eſt quæſtio, Sancto Athanaſio adjudicatur.

℞. N. *Conſeq:* & *dico:* Laudatos in objectione codices aùt nomen Athanaſij in ſe non præferre, aùt non videri ab antiqua manu conſcriptos, aùt non eſſe cum ijs comparandos, in quibus tale Symbolum non reperitur, ſivè numerum, ſivè antiquitatem ſpectemus. His adde: Vigilium Thapſitanum, quem hujus Symboli authorem dixit Quenellius, plura ſub nomine Athanaſij opera ſuppoſuiſſe. Hinc etiàm intèr dubia & incerta Athanaſij opera hoc Symbolum reponitur ab Abrahamo Sculteto in medulla Patrum part: 2dâ cap: 90.

Objicies 4to: Legati Gregorij IX. decimo tertio vertente ſæculo Conſtantinopolim miſſi, S. Athanaſij Symbolum velùt Sanctiſſimi Viri partum in definitione Catholicæ fidei protulerunt. Quibus addendum eſt Eugenij IV. ſuffragium, qui decimoquarto cadente ſæculo: *Compendioſam illam fidei regulam per Beatiſſimum Athanaſium editam* Armænorum Oratoribus præbuit, ut in Decreto Unionis Armænorum obſervare licèt. Ergò iſtis ſaltèm fides danda eſt, dùm iſtud S. Athanaſio Symbolum adjudicant.

℞. N. *Conſeq:* Neq; enim Legati Gregorij IX. decreverunt, neq; Eugenius IV. indubitantèr ſtatuit: S. Athanaſium, & non alium quempiam eſſe authorem illius Symboli, quod tanquàm Catholiciſſimum alijs credendum propoſuerunt. Quarè duo hac in re cautè, prudentèrq; ſecernenda veniunt. Alterum Juris, facti alterum. Fidei unum, criticæ alterū. juris, fideiq; quæſtio eſt: nùm illud Symbolum ſub nomine D. Athanaſij volitans, puram, germanamq; Catholicæ Religionis formulam complectatur. Facti verò, ſcientiæq; criticæ controverſia eſt: Nùm ab ipſo Athanaſio, aliovè recentiori ſcriptore fuerit elaboratum. Prima quæſtio facilè dirimitur authoritate Legatorum Gregorij IX. & Eugenij IV, qui illud Symbolum Græcis atq; Armenis tradiderunt; Ex his enim rectè colligitur germanam, puram, & integram illam eſſe fidei profeſſionem. Verùm altera quæſtio, quæ facti eſt duntaxàt, ſitnè ab Athanaſio editum Symbolum illud, non perindè laudatorum Pontificum authoritate diſſolvitur, etſi Athanaſij nomen huic Symbolo præfigatur, quia de ea tituli præfixione, quæ nec ad fidei dogma, nèc ad diſciplinæ regulam ullo modo

pertinet, nulla Ecclesiæ cura fuit, nèc esse debuit, præsertim quod nondùm certò constet, sed penès Eruditos prorsùs sit obscurum, quis nàm fuerit ejusdem Symboli genuinus, ac verus author, cujus nomen præfigere Ecclesia ritè posset.

Objicies 5to: Breviarium Ecclesiæ Romanæ in Officio Dominicæ, & in Festo Sanctissimæ Trinitatis habet hoc Symbolum nomine S. Athanasij insignitum, Ergò nè Ecclesiæ authoritati detrahatur, dicendum venit, illud Symbolum esse genuinum Athanasianum opus.

℞. N. *Consequ:* Imprimis enim qui modestiores sunt, huic argumento reponere solent: appellari in Breviario Romanæ Ecclesiæ Athanasianum hocce Symbolum, quoniàm ex aureis Athanasij disputationibus à Latino quodam Theologo mutuatum est, collectis contrà subortas hæreses, quæ sparsæ erant sententijs; Etenim ex S. Athanasio posteriores quoq; hæreses posse refelli, docere debent, qui illius tantam doctrinam & sapientiam venerantur. Cæterùm modestiæ limites minimè excedemus, etsi ad propositum dicamus argumentum: Ecclesiam titulum hujus Symboli, quem obiter invenerat, reliquisse; Siquidèm Ecclesia quæstionibus juris, in materia morum & fidei, dijudicandis intenta, majestatem suam authoritatemq; ad minutulas illas facti quæstiones expendendas minimè demittit; Quarè de his facti critici controversijs, si quid obitèr in publicis instrumentis Ecclesia attingit, nihil unquàm certi statuere consvevit, sed id quod vulgò creditur, dummodò fidelibus nocumento non sit, tenendùm sit, ex communi potiùs, quàm sua sententia, Virisq; Eruditis liberum relinquit, ut hæc ipsa minutula facta ad severioris Criticæ leges ut lubet, expendant. Hoc ipsum confirmari potest quam plurimis exemplis, ex operibus aliorum Sanctorum Patrum petitis, quibus per multa opera, Ecclesiâ consentiente,eorumq;editiones permittente,ac etiàm approbante, olim tribuebantur, quæ tamèn decursu temporis vel dubia, vel supposititia reperta sunt, & à recentibus editionibus aùt prorsùs expuncta, aùt notîs & animadversionibûs sunt castigata. Adeoq; ex titulo, qui Athanasij nomen præsefert, quemq; præfigi sinit Ecclesia Symbolo *Quicunqué*, colligi non potest verè illud Symbolum Magni Athanasij fætum esse.

Dices: Cùr ergò Ecclesia hunc titulū in Breviario hactenùs non delevit?

℞. Hoc ideò esse, quia nondùm intèr eruditos eliquatum est, cujusnàm sit authoris illud Symbolū, & quia Ecclesia de rebus facti sollicita est, ob rationes in superiori responsione adductas. *Objicies*

Objicies 6to: Concilium Toletanum cap: 1. confessionis fidei, alia intèr hæc verba recitat de Filio: *Æqualis Patri secundùm Divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem,* ex Symbolo, de quo est quæstio, desumta, Ergò pro certo supponit hoc Symbolum esse Athanasianum.

℟. N. *Conseq:* Synodus enim illa Toletana anno dumtaxàt 633. habita est, quo tempore à Latino scriptore illud Symbolum jàm editum fuisse ultrò concedimus. Adeoq; nihil mirùm, si ejus verba Synodus illa mutuari potuerit, & in suam fidei professionem transfundere. Imò verò si quis animô ità affectus fuerit, ut hujus Symboli elucubrationem ad posteriora etiàm tempora transferre vellet, & alicui authori etiàm illâ Toletanâ Synodo posteriori adscribendam judicaret, nihil illi hujus Synodi verba officerent; Cùm enim illa Synodus nullum authorem indigitet, ex quo talia verba mutuata sit, sed eæ dumtaxàt phrases in Synodo legantur, quæ in isto Symbolo continentur, definiri certò non potest, an eas phrases hæc Synodus ex illo Symbolo mutuata sit, an verò contrà illas phrases Symboli author potiùs ex ipsamet Synodo usurpaverit.

Objicies 7mo: In Synodo Augustodunensi, apud Labbeum in Collect: Concil: Tom: 6. legimus: *Si quis Præsbyter, Diaconus, Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum, quod inspirante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, & fidem S. Athanasij Præsulis irreprehensibilitèr non recensuerit, ab Episcopo condemnetur.* Ergò ex testimonio istius Synodi, Athanasij Præsulis Alexandrini est istud Symbolum.

℟. N. *Conseq:* Nàm & hæc Synodus posterior etiàm est Toletana, utpotè anno 670. celebrata, quo tempore Symbolum istud ab altero quopiam scriptore jàm fuisse adornatum fatemur, adeoq; nihil mirùm, si Clericis memoriæ mandandum injunctum est.

Dices: Quid ergò causæ sit, quod *fides Athanasij* ab illa Synodo vocitetur?

℟. Ea de causa *Fidem Athanasij* hoc Symbolum appellari, quia hoc nomine, tituloq; à recentiori Authore dialogi instàr editum est, propterea quod doctrinæ ab Athanasio adversùs Arianos præsertim vindicatæ compendium esset. Et quidèm deridendus meritò ille esset, qui ob id Symbolum hoc ab Athanasio scriptum effutiret, quia Athanasij nomen in suo titulo exhibet; Cùm hujus generis scriptionibus familiare sit, ut non suorum authorum nomina præferant, sed illorum, ex quorum doctrina, atq; sententijs ea scripta elucubrata fuerunt: Ut *vg.* Si quis ex Divi Thomæ

doctrina Librum in materia morum conficeret, rectè illi hunc præfigere posset titulū: *Moralis D. Thomæ*, uti reverà hujusmodi liber exstat, qui tamèn à D. Thoma conscriptus non est, nec ei propterea veluti illius fœtus tribuitur

Objicies ultimò: Usq; adeò Græcis Theologis perspectū & persvasum fuit, illud Symbolum S. Athanasij fuisse, ut Latinis illius authoritatem circà Spiritûs S. processionem objicientib9, duo hæc solum reponerent: Aùt nempè versiculum illum, qui Spiritûs S. processionem exponit, à Latinis scriptoribus huic Symbolo fuisse assumtum, aùt Athanasium plùs æquô incaluisse merô, dùm illum scriberet. Atqui Græci faciliùs longè se à Latinorū objectis expedirent, reponendo: Non Magnū Athanasium esse totius illius Symboli authorem, Ergò si id Græci Latinis non reposuerunt, perperàm hoc Symbolum Athanasio abjudicatur. *Deindè* S. Bonaventura Lib: 25. dicit: *Athanasij & Nicœni Symbola addita esse ad fidei majorem explicationem, & hæresum confutationem, quia Symbolum Athanasij Doctoris præcipui maximè ordinatum fuit contrà errorem Arji*, Id ipsum sensisse refertur D. Thomas 2da 2dæ, q. 1. ad 3tium. Ergò *&c.*

℞. Ad *1mum:* N. *Maj:* Siquidèm præter illa duo supterfugia, 3tiam quoq; evasionem invenêre Græci Theologi, nimirùm: Hocce Symbolum Athanasio perperàm affingi, ut permulti hodiè etiàm fatentur hujusce Symboli acerrimi Defensores. Imò (quod nostram causam maximè juvare videtur) nullum Græcis ob istud Symbolum Athanasio abjudicatum, negotium à Latinis facessitum observamus, tametsi alia bina laudata responsa, quibus ejus vim Græci declinare videbantur, acritèr Latini exagitati fuerint. Quin etiàm celeberrimus ille Bessarion, qui Latinæ Ecclesiæ fidem, Græcus licèt, in Florentino Concilio strenuè propugnavit, in prolixa illa, eruditissimaq; Oratione ad Patres habita, quâ veterum Græcorum Patrum testimonia pro Spiritûs Sancti à Filio processione demonstranda, diligenti congessit studiô, Athanasianum Symbolum, quod ejus causam mirum in modum juvisset, altô silentiô prætermittit, quæ factô demonstravit illam lucubrationem, nèc Athanasij, nèc alterius cujuspiam Græci scriptoris esse, adeoqué censeri debet alicujus esse Authoris Latini, & quidèm longè sequioris ævi.

Ad 2dum dico: Sanctissimos Seraphicum & Angelicum Doctorem illud Symbolum Magni Athanasij nomine decorasse, proùt eò temporis vulgò credebatur, & dicebatur, nec criticum factum pro sui ingenij excellentia

exami-

examinasse, utpotè cùm nullâ necessitate ad id cogerentur, & solis quæstionibus juris occuparentur.

Restat ergò concludere: Symbolum: *Quicunq; vult, &c.* Catholicam exprimens fidem, quod sub S. Athanasij Alexandrini Præsulis nomine circumfertur, nèc ejus fætum esse, nec esse posse, sed alteri Authori admodùm recentiori, atqué Latino tribuendum.

QUÆRES,

CUJUS ITAQ; SCRIPTORIS EST ISTUD SYMBOLUM?

℟. QUàm certum sit, illud Symbolum S. Athanasij non esse, tàm incertum est, cujusnàm sit authoris.

Etenim quamvis Viri Eruditi nonnulli glorientur certum & determinatum Authorem huic Symbolo se assignasse, nullius tamèn sententia à maximis difficultatibus expedita manet.

Sunt, qui illud Symbolum Eusebio Vercellensi tribuant.

Verùm antiquior ille est, quàm ut de hæresibus Nestorij & Eutychetis, suo adhuc tempore nondùm enatis, adeò dilucidè, & explicatè pronuntiare potuisset, ut eo in Symbolo pronuntiatum legimus. Imò cùm Athanasij ætate viveret Eusebius, ijsdem momentis illa sententia exploditur, queis revincitur altera jàm à nobis cumulatissimè confutata.

Alij ab Anonimo Theologo Gallo editum hoc Symbolum conjiciunt, Pipimi, vel Caroli Magni temporibus, occasionem præbente controversiâ de Spiritûs Sancti processione, de qua in Gallicis tùnc Synodis actum est. Ità Doctissimi Viri Pithæus, & Gerardus Vossius.

Sed bona Eruditissimorum Virorum venia,peccat hoc systema chronologico errore, eoqué gravissimo; Etenim illæ controversiæ sub Pipino Rege, & Carolo Magno Imperatore in Gallijs agitatæ de Spiritûs Sancti processione anno dumtaxat 760. enatæ sunt, cùm è contrà illud Symbolum centum circitèr annis in antecessum à Synodo Augustodunensi laudatum esset, ut à Clericis memoriæ sedulò mandaretur.

Nonnullii tandèm à Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo istud Symbolum scriptum esse existimant, dùm Constantinopoli exularet sub 5ti sæculi finem; Ubi cùm audisset, quantas strages in Africa ageret Ariana

hæresis,

hæresis, & quo in discrimine versaretur suorum popularium fides, Pastoralis Officij partes esse existimavit, periclitanti suo populo suppetias ferre, simplicioribusq; Christianis eam fidei professionem ob oculos ponere: Nèc illos adversùs Arianæ sectæ perfidiam dumtaxàt communire, sed etiàm adversùs Nestorianam, & Eutychianam, quæ jàm longè, latèqué grassabantur.

Ideò autèm illam professionem, sivè expositionem, *Fidem Athanasij* nominavit, quod summam Athanasianæ fidei contineret, & nè de condita hujus fidei formula in suspicionem apud hæreticos deveniret, ac propterea in certissimum vitæ discrimen adduceretur. Ità Viri Eruditi Quenellius & Natalis Alexander, qui hâc ratione ad talia asserenda ducuntur. Huic Vigilio admodum familiare fuit, ut quæ scribebat opuscula, sæviente Vandalorum persecutione, ea non sub proprio, sed sub antiquorum Patrum nomine emitteret: Undè etiàm Dialogum adversùs Arianos, Sabellianos, & Photinianos sub S. Athanasij nomine scripsit, ubi Athanasium cum Ario, Sabellio, & Photino coràm Judice Probo disputantem inducit; Adeòq; nihil mirùm, si idem in isto edendo Symbolo observasset, & fidem Athanasij in titulo nuncupâsset.

Id certè à doctissimis Viris satis prudentèr, & probabilissimè excogitatum existimare debet, quicunq; veritatem sectatur. Nihil enim aùt in nota temporum, aùt in personarum conditione peccatum in ea conjectura videtur. Sed interim mera conjectura est, nullo positivo, efficaci argumento nixa, nulloq; manuscripto codice comprobata; Adeoq; stat in suo valore brevis responsio, ad solvendum quæsitum adhibita.

AD
M. D. G. B. V. M. S. L. O. C. HONOREM,
S. P. FRANCISCI, Et OO. SANCTORUM
Cultum & Venerationem.

ERRATA CORRIGE.

Errata	Corrige
Folio 6. *uti*	ubi
Ibidem *eorum*	noſtras.
16. *ſvadenti*	ſvadent
Ibidem *Idololatriæ*	Idololatræ
20. *Leouum*	Leonum
Ibidem *nam*	hanc
21. *aliquas*	aliquam
23. *firmam*	formam
24. *Si aut*	Sicut.
25. *In Ovilem*	in ovile
Ibidem *eterq;*	uterq;
29. *Sanctum*	Sanctorum
33. *alteri*	alterius
37. *ergó* anteponitur	*Bibliothecæ*
40. *Tragendos*	Frangendas
43. *mero*	mera
44. *pollunt*	polluunt.
46. *capiunt*	carpiunt.
47. *quo*	quod
51. *Martyrologijs Græcorum*	Monologijs Græcorum
56. *Corynthiani*	Cerynthiani
58. *nominare*	nominari
61. *ſcientur*	cientur
Ibidem *eſt veritus*	non eſt veritus.
62. *quo*	qua
63. *Salutis*	ſolutis
Ibidem *Hennas*	Hermas
70. *agenniton Omouſion*	agenniton Omiuſion
71. *In hoc autem* omiſſum eſt	*ſenſu.*
74. *vocabuli Omouſion*	vocabuli *Omiuſion*
80. *& ſit*	ut ſit

81.

81. *tùm falsa* - - - tàm falsa
Ibidem *alicujus* - - - - alicui.
85. *Concilium* - - - Conciliorum.
Ibidem *hominum* - - - nominum
86. *Alexandrinum* - - - - Alexandrinam
Ibidem *in substantia* - - - - insubsistentia
Ibidem *puteam* - - - - puteum
89. post Ly *hæreses* omissum est - - - *occupantur*
90. *edictis* - - - - editis
92. *sollicita est* omissum est - - - non
94. *assumtum* - - - - assutum
Ibidem *quæ* - - - - quo
95. *Pipimi* - - - - Pipini
Ibidem *ille* - - - - illæ.

Cætera menda, quæ oculos fugere poterant, facile Amicus Lector corriget ex verborum sensu.